REGVLA
SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI
BENEDICTI
ABBATIS

Vna cum Conſtitutionibus Monachorum Congregationis S. Bernardi in Italia Ordinis Ciſtercienſis.

Sanctiſsimi Domini Noſtri VRBANI Papæ VIII. iuſſu recognitis, & eiuſdem auctoritate approbatis, & confirmatis.



R O M Æ,
Ex Typographia Reuer. Cameræ Apoſtolicæ. M.DC.XLI.

Superiorum permiſſu.

VRBANVS
PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SACROSANCTVM Apoſtólatus officium humilitati noſtrę per ineffabilem Diuinæ ſapientiæ prouidentiam commiſſum iugiter Nos admonet, vt inter grauiſsimas, multiplicesque Apoſtolicæ ſeruitutis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam Chriſti fideles ſub ſuaui Religionis iugo virtutum Domino famulantes ſub certis, & proindè ordinatis ſtatutis, atque Conſtitutionibus, in ſanctitate, & iuſtitia fœlicioribus in dies proficiánt incrementis, ac proinde ea, quæ proptèrea ſtatuta, & ordinata ſunt, vt ab omnibus, ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruentur, perpetuaque roboris firmitate ſubſiſtant Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubri-

ter expedire. Sanè dilecti filij Abbates Monaſteriorum S. Crucis de Vrbe, ac Sanctorum Vincentij, & Anaſtaſij trium Fontium vulgò nuncup. propè, & extrà muros eiuſdem Vrbis Congregationis Sancti Bernardi in Italia Ordinis Ciſtercienſis ſuo, & totius dictæ Congregationis nominibus Nobis nuper exponi fecerunt, quod pro fœlici, & proſpero eiuſdem Congregationis regimine, atque gubernio nonnullæ Conſtitutiones, & ſtatuta diuerſis temporibus facta, nouiſsimè autem de mandato noſtro recognita, & multis in locis emendata, atque aptata, tandem in vnum volumen fuerunt compilata tenoris ſubſequentis, videlicet.

CON-

h2

In nomine Domini noſtri IESV CHRISTI.

Incipit Prologus Regulæ ſanctiſsimi Patris noſtri Benedicti Abbatis eximij Confeſſoris, Patris Monachorum.

AVSCVLTA ô fili præcepta magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians proprijs voluntatibus domino Chriſto vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumis. In primis vt quicquid agendum inchoas boni, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas, vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, vt non ſolùm vt iratus pater ſuos nos aliquando filios exhæredet: ſed nec vt metuendus dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint ſequi ad gloriam.

REſurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura ac dicente. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et iterum. Qui habet aures audiendi, audiat quid ſpiritus

dicat eccleſijs. Et quid dicit? Venite filij, audite me; timorem domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens dominus in multitudine populi ſui cui hæc clamat, operarium ſuum: iterum dicit. Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens, reſpondeas: Ego, dicit tibi Deus. Si vis habere veram & perpetuam vitam abſtine à malo: & labia tua ne loquantur dolum: diuerte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei ſuper vos: & aures meæ ad preces veſtras: & antequam me inuocetis, dicam, ecce adſum. Quid dulcius nobis hac voce domini inuitantis nos, fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis dominus viam vitæ.

SVccinctis ergo fide vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius: vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno ſuo videre. In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur. Sed interrogemus cum propheta dominum, dicentes ei. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Poſt hanc interrogationem fratres, audiamus dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi, & dicentem. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua: qui non fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum. Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua a conſpectibus cordis ſui reſpuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.

QVi timent dominum de bona obſeruantia ſua non ſe reddunt elatos, ſed ipſa in ſe bona non a ſe poſſe, ſed a domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe dominum magni-

gnificant, illud cum propheta dicentes. Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputauit dicens. Gratia Dei ſum id quod ſum. Et iterum ipſe dicit: Qui gloriatur, in domino glorietur. Vnde & dominus in Euangelio ait. Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſupra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, quia fundata erat ſupra petram. Hæc complens dominus, expectat quotidie, his ſuis ſanctis nos reſpondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apoſtolo. An neſcis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius dominus dicit. Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Cum ergo interrogaſſemus dominum fratres de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed ſi compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum.

Ergo præparanda ſunt corda noſtra, & corpora ſanctæ præceptorum obedientiæ militatura; & quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus dominum, vt gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari. Et ſi fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam: dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere: currendum & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat. Conſtituenda eſt ergo a nobis dominici ſchola ſeruitij. In qua inſtitutione nihil aſperum, nihilq. graue nos conſtituros ſperamus. Sed & ſi quid paululum reſtrictus dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conſeruationem charitatis proceſſerit: non illico pauore perterritus refugias viam ſalutis: quæ non eſt niſi auguſto initio incipienda. Proceſſu vero conuerſationis & fidei, corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque

ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus: vt regni eius mereamur eſſe conſortes.

INCIPIT REGVLA EIVSDEM.

De generibus vel vita Monachorum. Cap. I.

MONACHORVM quatuor genera eſſe manifeſtum eſt. Primum cœnobitarum, hoc eſt monaſteriale, militans ſub regula vel abbate. Deinde ſecundum genus eſt anachoritarum ideſt heremitarum, horum qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum ſolatio iam docti pugnare: & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius, ſola manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum Deo auxiliante, pugnare ſufficiunt. Tertium vero monachorum teterrimum genus eſt ſarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magiſtra ſicut aurum fornacis, ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Qui bini aut terni aut certe ſinguli ſine paſtore, non dominicis ſed ſuis incluſi ſunt ouilibus, & pro lege eis eſt deſideriorum voluptas: cum quicquid putauerint vel elegerint hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus eſt monachorum: quod nominatur gyrouagum, qui tota vita ſua per vniuerſas prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi, & nunquam ſtabiles: & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris ſeruientes: & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miſerrima conuerſatione melius

eſt

ſt ſilere quam loqui. His ergo omiſſis ad cœnobitarum fortiſſi-
mum genus diſponendum, adiuuante domino, veniamus.

Qualis debeat eſſe Abbas. Cap. II.

ABbas qui præeſſe dignus eſt monaſterio, ſemper meminiſ-
ſe debet quod dicitur: & nomen maioris, factis implere.
Christi enim agere vices in monaſterio creditur, quando ipſius
vocatur prę nomine, dicente Apoſtolo: Accepiſtis ſpiritum adop-
tionis filiorum: in quo clamamus Abba pater. Ideoq; Abbas
nihil extra præceptum domini (quod abſit) debet docere aut
conſtituere aut iubere. Sed iuſſio eius vel doctrina fermento di-
uinæ iuſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur. Memor ſit
ſemper abbas, quia doctrinæ ſuæ vel diſcipulorum obedientiæ v-
triuſque rei in tremendo iudicio Dei facienda erit diſcuſſio.
Sciatque abbas culpæ paſtoris incumbere quicquid in ouibus pa-
terfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum interim
liber erit, vt (ſi inquieto vel inobedienti gregi paſtoris fuerit om-
nis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuerſa fue-
rit cura exhibita) paſtor earum in iudicio domini abſolutus, dicat
cum propheta domino. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde
meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi, ipſi autem contem-
nentes ſpreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ
ſuæ ouibus pœna ſit, eis præualens ipſa mors.

CVm ergo aliquis ſuſcipit nomen Abbatis duplici debet do-
ctrina ſuis præeſſe diſcipulis ideſt, omnia bona & ſancta
factis amplius quàm verbis oſtendere, vt capacibus diſcipulis
mandata domini verbis proponat, duris vero corde & ſimplicio-
ribus, factis diuina præcepta demonſtret. Omnia verò quæ di-
ſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda,
ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniatur, ne quando illi dicat
Deus peccanti. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis te-
ſta-

ſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te. Et qui in fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti. Non ab eo perſona in monaſterio diſcernatur. Nō vnus plus ametur quàm alius; niſi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti, niſi aliqua rationabilis cauſa exiſtat. Quod ſi ita iuſtitia dictante, abbati viſum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat ſin aliter propria teneat loca. Quia ſiue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus: & ſub vno Domino æqualem ſeruitutis militiam baiulamus. Quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur.

ERgo æqualis ſit omnibus ab eo charitas, vna præbeatur omnibus ſecundum merita diſciplina. In doctrina namq; ſua abbas apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, qua dicit, argue, obſecra, increpa, ideſt miſcens temporibus tempora terroribus blandimenta, dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum, ideſt indiſciplinatos, & inquietos debet durius arguere: obedientes autem & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obſecrare. Negligentes autem & contemnentes, vt increpet & corripiat admonemus. Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox vt cœperint oriri radicitus ea (vt præualet) amputet, memor periculi Hely ſacerdotis de Sylo. Et honeſtiores quidem atque intelligibiles animos prima vel ſecunda admonitione verbis corripiat, improbos autem & duros, ac ſuperbos vel inobedientes verberum vel corporis caſtigatione, in ipſo initio peccati coerceat ſciens ſcriptum. Stultus verbis non corrigitur. Et iterum, percute filium tuum virga, & liberabis animam eius a morte.

MEminiſſe debet ſemper Abbas quod eſt, meminiſſe quòd dicitur: & ſcire, quia cui plus committitur, plus ab eo exi-

exigitur. Sciatq; quàm difficilem, & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis: alium verò increpationibus: alium ſuaſionibus. Et ſecundum vniuſcuiuſque qualitatem vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet & aptet; vt non ſolùm detrimenta gregis ſibi conmiſſi non patiatur: verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne diſſimulans, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, plus gerat ſollicitudinem de rebus tranſitorijs atque terrenis & caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas: de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori forte ſubſtantia, meminerit ſcriptum. Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum, nihil deeſt timentibus eum. Sciatque, quia qui ſuſcepit animas regendas, præparat ſe ad rationem reddendam. Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo quia in die iudicij ipſarũ omnium animarũ eſt redditurus domino rationem ſine dubio addita & ſuę animę. Et ita timens ſemper futuram diſcuſſionẽ paſtoris de creditis ſibi ouibus: cũ de alienis ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſollicitus. Et cum de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat: ipſe efficitur à vitijs emendatus.

De adhibendis ad Conſilium Fratribus. Cap. III.

QVoties aliqua pręcipua agenda ſunt in monaſterio, cõuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipſe vnde agitur. Et audiens conſilium fratrũ tractet apud ſe prudenter, & quod vtilius iudicauerit faciat. Ideo autem omnes ad cõſilium vocari diximus, quia ſæpè iuniori dominus reuelat, quod melius eſt. Sic autem dent fratres conſilium cum omni humilitatis ſubiectione, vt non præſumant procaciter defendere, quod eis viſum fuerit: ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod ſalubrius eſſe iudicauerit,

rit, ei cuncti obediant. Sed ſicut diſcipulis conuenit obedíre magiſtro, ita & ipſum prouidè & iuſtè condecet cuncta diſponere. In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in monaſterio proprij ſequatur cordis voluntatem. Neq; præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proteruè intra, aut extra monaſterium contendere. Quod ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione regulæ omnia faciat, ſciens ſe proculdubio de omnibus iudicijs ſuis æquiſſimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda ſunt in monaſterij vtilitatibus, ſeniorum tantum vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt. Omnia fac, cum conſilio & poſt factum non pœnitebis.

Quæ ſunt inſtrumenta bonorum operum. Cap. IIII.

IN primis dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam ſeipſum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, honorare omnes homines, & quod ſibi fieri quis non vult, alij ne faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum. Corpus caſtigare, delitias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione ſubuenire, dolentem conſolari, à ſæculi actibus ſe facere alienum, nihil amori Chriſti præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reſeruare, dolum in corde non tenere, pacem falſam non dare. Charitatem non derelinquere, non iurare omnino, ne forte periuret, veritatem ex corde & ore proferre, malum pro malo non reddere, iniuriam non facere: ſed & factam patienter ſufferre, inimicos diligere, maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere, perſecutionem propter iuſti-

tiam ſuſtinere, non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non mulm edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmurom, non detractorem, ſpem ſuam Deo committere, bonum iquod in ſe cum viderit, Deo applicet non ſibi: malum vero mper a ſe factum ſciat, & ſibi reputet. Diem iudicij timere: hennam expaueſcere: Vitam æternam omni concupiſcentia irituali deſiderare. Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam bere. Actus vitæ ſuę omni hora cuſtodire. In omni loco Deum reſpicere pro certo ſcire. Cogitationes malas cordi ſuo aduementes mox ad Chriſtum allidere,& ſeniori ſpirituali patefacere.

OS ſuum a malo vel prauo eloquio cuſtodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut riſui apta non loqui. iſum multum aut excuſſum non amare. Lectiones ſanctas lienter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala prætета cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confite. De ipſis malis de cætero emendare. Deſideria carnis non erficere, voluntatem propriam odiſſe. Pręceptis Abbatis in mnibus obedire etiam ſi ipſe (quod abſit) aliter agat, memor ius dominici præcepti. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, acere nolite. Non velle dici ſanctum antequam ſit: ſed prius ſſe quo verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimple. Caſtitatem amare. Nullum odiſſe: Zelum & inuidiam non abere. Contentionem non amare. Elationem fugere, ſeniores enerari. Iuniores diligere in Chriſti amore, pro inimicis ora. Cum diſcordantibus ante Solis occaſum in pacem redire. Et e Dei miſericordia nunquam deſperare. Ecce hæc ſunt inſtruienta artis ſpiritualis. Quæ cum fuerint a nobis die noctuque nceſſabiliter adimpleta, & in die iudicij reconſignata, illa merces obis a domino recompenſabitur, quam ipſe promiſit. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Officina vero, vbi æc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt monaſterij & ſtabilitas in congregatione.

De obedientia diſcipulorum. Cap. V.

PRimus obedientiæ gradus eſt obedientia ſine mora. Hæc conuenit his, qui nihil ſibi Chriſto carius exiſtimant propter ſeruitium ſanctum, quod profeſſi ſunt, ſeu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ: Mox vt aliquid imperatum a maiore fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciunt in faciendo. De quibus dominus dicit. Obauditu auris obediuit mihi. Et item dicit doctoribus. Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis ſequuntur. Et velut vno momento prædicta magiſtri iuſſio & perfecta diſcipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo anguſtam viam arripiunt, vnde dominus dicit. Anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, vt non ſuo arbitrio viuentes, vel deſiderijs ſuis & voluptatibus obedientes, ſed ambulantes alieno iudicio & imperio, in cœnobijs degentes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam domini imitantur ſententiam, qua dicit. Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Sed hæc ipſa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, ſi quòd iubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure vel cum reſponſo nolentis efficiatur. Quia obedientia quæ maioribus præbetur Deo exhibetur. Ipſe enim dixit. Qui vos audit me audit. Et cum bono animo à diſcipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo ſi obedit diſcipulus: & non ſolum ore, verum etiam in corde ſi murmurauerit, & ſi impleat iuſſionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequi-

tur

tur gratiam: immo pœnam murmurantium incurrit: ſi non cum ſatisfactione ſe emendauerit.

De taciturnitate. Cap. VI.

FAciamus quod ait propheta: Dixi cuſtodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hic oſtendit propheta, ſi a bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari: Ergo quamuis de bonis & ſanctis & ædificationum eloquijs, perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia ſcriptum eſt: In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi. Mors & vita in manibus linguæ. Nam loqui & docere magiſtrum condecet: tacere & audire diſcipulo conuenit. Et ideo ſi qua requirenda ſunt a priore: cum omni humiltate & ſubiectione, & reuerentia requirantur, ne videatur plus loqui quàm expedit. Scurilitates verò vel verba ocioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium diſcipulum aperire os non permittimus.

De humilitate. Cap. VII.

CLamat nobis ſcriptura diuina, fratres dicens: Omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur. Cum hæc ergo dicit, oſtendit nobis, omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ. Quod ſe cauere Propheta indicat, dicens. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Sed quid? Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus ſuper matrem ſuam: ita

retribues in animam meam. Vnde fratres ſi ſummæ humilitatis culmen volumus attingere: & ad exaltationem illam cœleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire, actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſomno Iacob apparuit, per quam ei deſcendentes Angeli & aſcendentes monſtrabãtur: Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, & aſcenſus a nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere: & humilitate aſcendere. Scala vero ipſa erecta, noſtra eſt vita in ſæculo, quæ humiliato corde a domino erigitur ad cælum. Latera enim eiuſdem ſcalæ dicimus noſtrum eſſe corpus & animam, in quibus diuerſos gradus humilitatis vel diſciplinæ vocatio diuina aſcendendos inſeruit.

Gradus primus humilitatis.

PRimus itaque gradus humilitatis eſt ſi timorem Dei ſibi ante oculos ſemper ponens, obliuionem omnino fugiat. Et ſemper ſit memor omnium quæ præcepit Deus. Et qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt. Et vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper reuoluat. Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis & vicijs, ideſt cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ: ſed & deſideria carnis amputare feſtinet. Exiſtimet ſe homo de cœlis a Deo ſemper reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nunciari. Demonſtrat vobis hoc propheta: Cum in cogitationibus noſtris ita Deum ſemper præſentem oſtendit dicens. Scrutans corda & renes Deus. Et item. Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Et idem dicit. Intellexiſti cogitationes meas a longe. Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam vt ſollicitus ſit circa cogitationes ſuas peruerſas, dicat ſemper humilis frater in corde ſuo. Tunc ero immaculatus co-

m eo, ſi obſeruauero me ab iniquitate mea. Voluntatem ro propriam ita facere prohibemur, cum dicit ſcriptura nos. Et a voluntatibus tuis auertere. Et item, rogamus Deum oratione, vt fiat illius voluntas in nobis.

DOcemur ergo merito noſtram non facere voluntatem, cum cauemus illud quod dicit ſcriptura. Sunt viæ quæ dentur hominibus rectæ, quarum finis vſque ad profundum ferni demergit. Et cum cauemus illud, quod de negligenus dictum eſt. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in luptatibus ſuis. In deſiderijs vero carnis ita nobis Deum edamus ſemper eſſe præſentem: cum dicit propheta domino. nte te omne deſiderium meum. Cauendum ergo eſt ideo alum deſiderium, quia mors ſecus introitum delectationis ſita eſt. Vnde ſcriptura præcipit dicens. Poſt concupiſcens tuas non eas. Ergo ſi oculi Domini ſpeculantur bonos & alos, & Dominus de cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominm, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, & ab ngelis deputatis nobis quotidie die noctuque Domino faori noſtro, opera noſtra nunciantur, cauendum eſt omni hofratres (ſicut dicit in Pſalmo Propheta) ne nos declinantes malum, & inutiles factos, aliqua hora aſpiciat Deus, & parndo nobis in hoc tempore, quia pius eſt: & expectat nos conrti in melius, ne dicat nobis in futuro. Hæc feciſti, & tacui.

SEcundus humilitatis gradus eſt, ſi propriam quis non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere: d vocem illam Domini imitetur dicentis. Non veni facere luntatem meam, ſed eius qui me miſit. Item dicit ſcriptu. Voluntas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.

TErtius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat maiori, imitans Dominum, de o dicit Apoſtolus: factus obediens vſque ad mortem.

Quar-

QVartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris, & contrarijs rebus vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs tacita conſcientia patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſeſcat vel diſcedat, dicente ſcriptura. Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Item confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum. Et oſtendens fidelem pro domino vniuerſa etiam contraria ſuſtinere debere: dicit ex perſona ſufferentium. Propter te morte afficimur tota die æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Et ſecuri de ſpe retributionis diuinæ, ſubſequuntur gaudentes, & dicentes: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Et item alio loco ſcriptura, Probaſti nos (inquit) Deus: igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum: Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Et vt oſtendat ſub priore debere nos eſſe, ſubſequitur dicens. Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Sed & præceptum domini in aduerſis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, percuſſi in maxillam præbent, & aliam: auferenti tunicam dimittunt, & pallium: angariati mille paſſus vadunt & duo milliaria, & cum Paulo Apoſtolo falſos fratres ſuſtinent, & perſecutiones ſuſtinent, & maledicentes ſe benedicunt.

QVintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala a ſe abſcondite commiſſa per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Hortatur nos de hac re ſcriptura dicens. Reuela domino viam tuam, & ſpera in eo. Et idem dicit. Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. Et idem propheta. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

SExtus humilitatis gradus eſt, ſi omni vilitate vel extremitate contentus ſit monachus, & ad omnia quæ ſibi iniunguntur, velut operarium ſe malum ſe iudicet & indignum, dicens

um propheta; ad nihilum redactus ſum apud te, & ego ſem-
er tecum.

SEptimus humilitatis gradus eſt: ſi omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolum ſua lingua pronunciet, ſed etiam intimo ordis credat affectu humilians ſe & dicens cum propheta: Ego utem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Exaltatus ſum & humiliatus & confuſus. Et item Bonum mihi quod humiliaſti me, vt diſcam mandata tua.

OCtauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat monachus niſi quod communis monaſterii regula vel maiorum cohortātur exempla.

NOnus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat monachus, taciturnitatem habens vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante ſcriptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum, & quod vir linguoſus on dirigetur ſuper terram.

DEcimus humilitatis gradus eſt, ſi nō ſit facilis ac promptus in riſu. Quia ſcriptū eſt. Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.

VNdecimus humilitatis gradus eſt, ſi cum loquitur monachus, leniter & ſine riſu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non ſit clamoſus in voce, icut ſcriptum eſt. Sapiens verbis innoteſcit paucis.

DVodecimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſolum corde monachus ſed etiā corpore humilitatem videntibus ſe, ſemper ndicet, ideſt in opere, in monaſterio, in oratorio, in horto, in ia, in agro, vel vbicunque ſedens, ambulans, vel ſtans inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus, reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, iam ſe tremendo iudicio

Dei

Dei præſentari exiſtimet, dicens ſibi ſemper illud quod publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit. Domine non ſum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum. Et iterum cum propheta. Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque. Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, monachus mox ad charitatem Dei peruenit illam, quæ perfecta, foras mittit timorem, per quam vniuerſa quæ prius non ſine formidine obſeruabat: abſque vllo labore velut naturali ter ex conſuetudine incipiet cuſtodire, non iam timore gehennę, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum: quæ dominus iam in operarium ſuum mundum a vitijs & peccatis ſpiritu ſancto dignabitur demonſtrare.

De Officijs diuinis in noctibus. Cap. VIII.

HYemis tempore: ideſt a Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha, iuxta conſiderationem rationis, octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modico amplius de media nocte pauſetur: & iam digeſti ſurgant. Quod vero reſtat poſt vigilias, a fratribus qui pſalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſeruiatur. A Paſcha autem vſque ad ſupradictas Kalendas Nouembris, ſic temperetur hora vigiliarum agēda: vt paruiſſimo interuallo quo fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito: mox Matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur

Quot pſalmi dicendi ſunt in nocturnis horis. Cap. IX.

HYemis tempore præmiſſo in primis verſu. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina: in ſecundo ter dicendum eſt: Domine labia mea aperies:

&

& os meum annunciabit laudem tuam. Cui ſubiungendus eſt tertius pſalmus, & gloria. Poſt hunc pſalmus nonageſimus quartus: cum antiphona aut certe decantandus. Inde ſequatur Ambroſianum canticum. Deinde ſex pſalmi cum antiphonis. Quibus dictis & dicto verſu: benedicat Abbas. Et ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim a fratribus in codice ſuper analogium tres lectiones: inter quas tria reſponſoria canantur: duo reſpõſoria ſine gloria dicantur. Poſt tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat gloria: Quam cum incipit cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſurgant ob honorem & reuerentiam ſanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs diuinæ autoritatis tam veteris teſtamenti quam noui, ſed & expoſitiones earum, quæ a nominatiſſimis & orthodoxis catholiciſq. patribus factæ ſunt. Poſt has vero tres lectionis cum reſponſorijs ſuis, ſequantur reliqui ſex pſalmi cum alleluia canendi. Poſt hos lectio Apoſtoli ſequatur, ex corde recitanda, & verſus, & ſupplicatio letaniæ, ideſt Kyrie eleiſon & ſic finiantur vigiliæ nocturnæ.

Qualiter æſtatis tempore nocturna laus agatur. Cap. X.

A Paſcha autem vſque ad calendas Nouembris omnis, vt ſupra dictum eſt, pſalmodiæ quantitas teneatur, excepto quòd lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur, ſed pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter dicatur, quam breue reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia vt ſupra dictum eſt impleantur, ideſt vt nunquã minus a duodecim pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur exceptis tertio, & nonageſimoquarto pſalmo.

Qualiter Dominicis diebus, vigilię agantur. Cap. XI.

DOminico die temperius ſurgatur ad vigilias, in quibus vigilijs teneatur hæc menſura, ideſt modulatis vt ſupra diſpoſuimus, ſex pſalmis, & dicto verſu, reſidentibus cunctis diſpoſitè, & per ordinem in ſubſellijs, legantur in codice (vt ſupra diximus) quatuor lectiones cum reſponſorijs ſuis, vbi tantum in reſponſorio quarto dicatur a cantante, gloria. Quam cum incipit, mox omnes cum reuerentia ſurgant. Poſt quas lectiones ſequantur ex ordine alij ſex pſalmi cum antiphonis ſicut anteriores & verſus, poſt quas iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum reſponſorijs ſuis ordine quo ſupra. Poſt quas iterum dicantur tria cantica de prophetis, quæ inſtituerit abbas, quæ cantica cum alleluia pſallantur. Dicto etiam verſu & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de nouo teſtamento ordine quo ſupra. Poſt quartum vero reſponſorium incipiat Abbas hymnum. Te Deum laudamus. Quo dicto, legat abbas lectionem de euangelio cum honore & tremore ſtantibus omnibus. Qua perlecta reſpondeant omnes. Amen. Et ſubſequatur mox Abbas. Hymnus. Te decet laus. Et data benedictione, incipiant matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æſtatis quam hyemis æqualiter die dominico teneatur, niſi forte (quod abſit) tardius ſurgatur, quia tunc aliquid de lectionibus breuiandum eſt, aut reſponſorijs, quod tamen omnino caueatur ne eueniat. Quod ſi contigerit, digne inde ſatisfaciat in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

Quomodo matutinorũ ſolemnitas agatur. Cap. XII.

IN matutinis dominico die, in primis dicatur lxvj. pſalmus ſine antiphona in directum. Poſt quem dicatur quinquageſimus pſalmus cum alleluia. Poſt quem dicatur cxvij.& lxij. deinde benedictiones & laudes: lectio de Apocalipſi vna ex corde, & reſponſorium, & Ambroſianum, & verſus, & canticum de euangelio, litaniæ, & completum eſt.

Qualiter priuatis diebus matutini agantur. Cap. XIII.

DIebus autem priuatis matutinorum ſolemnitas ita agatur, ideſt 66. pſalmus dicatur ſine antiphona, in directum ſubtrahendo modice ſicut dominica: vt omnes occurrant ad quinquageſimum, qui cum antiphona dicatur. Poſt quem alij duo pſalmi dicantur ſecundum conſuetudinem, ideſt, Secunda feria, v. & xxxv. Tertia feria, xlij. & lvj. Quarta feria, lxiij. & lxiiij. Quinta feria, octogeſimus ſeptimus, & lxxxix. Sexta feria, lxxv. & nonageſimus primus. Sabbato autem centeſimus quadrageſimus ſecundus: & canticum Deuteronomij: quod diuidatur in duas glorias. Nam cæteris canticum vnumquodque die ſuo ex prophetis ſicut pſallit eccleſia Romana, dicatur. Poſt hec ſequantur laudes: deinde lectio vna Apoſtoli memoriter recitanda. reſponſorium, Ambroſianum: Verſus: canticum de euangelio, litaniæ: & completum eſt. Plane agenda matutina vel veſpertina non tranſeat aliquando, niſi in vltimo per ordinem Oratio dominica omnibus audientibus dicatur a priore propter ſcandalorum ſpinas quæ oriri ſolent, vt conuenti per ipſius orationis ſponſionem qua dicunt: dimitte nobis

debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, purgent ſe ab huiuſmodi vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur vt ab omnibus reſpondeatur, ſed libera nos a malo.

In natalitijs ſanctorum qualiter vigiliæ agantur. Cap. XIIII.

IN ſanctorum verò feſtiuitatibus vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: Excepto quod Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones ab ipſum diem pertinentes, dicantur: modus autem ſupradictus teneatur.

Alleluia quibus temporibus dicatur. Cap. XV.

A Sancto Paſcha vſq; ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur alleluia, tam in Pſalmis. quàm in Reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica, Matutini, prima, tertia, ſexta, nonaq. cum alleluia dicantur, Veſpera verò cum Antiphonis. Reſponſoria verò nunquam dicantur cum alleluia, niſi à Paſcha vſq; ad Pentecoſten.

Qualiter diuina opera per diem agantur. Cap. XVI.

SEpties in die (ait Propheta) laudem dixi tibi. Qui ſeptenarius ſacratus numerus à nobis ſic implebitur. ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperi, Completorijq. tempore,

ore, noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus, quia de his horis
ixit Propheta. Septies in die laudem dixi tibi. Nam de no-
turnis vigilijs idem ipſe Propheta ait. Media nocte ſurgebam
d confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes
reatori noſtro ſuper iudicia iuſtitiæ ſuæ, ideſt Matutinis, Pri-
na, tertia, ſexta, nona, Veſpera, Completorio, & nocte ſurga-
nus ad confitendum ei.

Quot Pſalmi per eaſdem horas dicendi ſunt. Cap. XVII.

IAm de Nocturnis vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſal-
modię: nunc de ſequentibus horis videamus. Prima hora
icantur Pſalmi tres ſigillatim & non ſub vna Gloria, hymnus
iuſdem horæ poſt verſum, Deus in adiutorium meum inten-
e, Domine ad adiuuandum me feſtina, antequam pſalmi inci-
antur. Poſt expletionem verò trium pſalmorum recitetur
ectio vna Verſus, & Kyrie eleiſ. & Miſſæ ſint. Tertia verò,
xta, nona, eodem ordine celebretur, ideſt Verſus, hymni
rundem horarum: terni pſalmi, lectio, & verſus Kyrie eleiſon
Miſſæ ſint. Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis ſi
rò minor indirectum pſallantur. Veſpertina autem ſynaxis
uatuor pſalmis cum antiphonis terminetur: poſt quos pſal-
os lectio recitanda eſt: inde reſponſorium, Ambroſianum,
erſus, Canticum de Euangelio, Lætania, & Oratio Domi-
c. & fiant Miſſæ. Completorium autem trium pſalmorum
ctione terminetur. Qui pſalmi directanei ſine Antiphona
cendi ſunt, poſt quos Hymnus eiuſdem Horæ: Lectio vna,
erſus Kyrie eleiſ. & benedictio, & Miſſæ fiant.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quo

Quo ordine ipſi Pſalmi dicendi ſunt. Cap. XVIII.

IN primis ſemper Diurnis horis dicatur verſus. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina, & gloria. Inde hymnus vniuſcuiuſq; horæ. Deinde prima hora Dominica dicenda quatuor capitula pſalmi centeſimi octauidecimi. Reliquis verò horis, ideſt tertia, ſexta, & nona: terna capitula ſupradicti pſalmi centeſimi octauidecimi dicantur. Ad primam autem ſecundæ feriæ, dicantur tres pſalmi, ideſt primus, ſecundus, & ſextus, & ita per ſingulos dies ad primam, vſque ad Dominicam dicantur per ordinem terni pſalmi vſque ad nonum decimum pſalmum; ita ſanè, vt nonus pſalmus, & ſeptimusdecimus partiantur in binas glorias, & ſic fiat, vt ad vigilias Dominica ſemper à vigeſimo incipiatur. Ad tertiam verò, ſextam, & nonam ſecundæ feriæ, nouem capitula quæ reſidua ſunt de centeſimo octauo decimo pſalmo: ipſa terna capitula per eaſdem horas dicantur. Expenſo ergo pſalmo centeſimo octauo decimo duobus diebus, ideſt dominica, & Secunda feria, Tertia feria, iam ad tertiam, ſextam, vel nonam pſallantur terni pſalmi à centeſimo nonodecimo vſq; ad centeſimum vigeſimum ſeptimum, ideſt pſalmi nouem. Quique pſalmi ſemper vſq; ad Dominicam per eaſdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus lectionum, vel verſuum diſpoſitione vniformi cunctis diebus ſeruata, & ita ſcilicet vt ſemper Dominica à centeſimo octauo decimo incipiatur.

VEſpera autem quotidie quatuor pſalmorum modulatione canatur. Qui pſalmi incipiantur à centeſimo nono vſque ad centeſimum quadrageſimum ſeptimum: exceptis his qui diuerſis horis ex eis ſequeſtrantur, ideſt à centeſimo decimoſeptimo vſque ad centeſimum vigeſimum ſeptimum & centeſimo

mo trigeſimotertio: & centeſimo quadrageſimo ſecundo. Reliqui omnes in veſpera dicendi ſunt. Et quia minus veniunt tres pſalmi, ideo diuidendi ſunt qui in numero ſupradicto fortiores inueniuntur, ideſt centeſimus trigeſimusoctauus & centeſimus quadrageſimustertius, & centeſimus quadrageſimusquartus. Centeſimus verò ſextusdecimus, quia paruus eſt, cum centeſimo quintodecimo coniungatur. Digeſto ergo ordine pſalmorum veſpertinorum, reliqua: ideſt lectiones, reſponſoria, hymni, verſus vel cantica, ſicut ſupra taxauimus, impleantur. Ad completorium verò quotidie idem pſalmi repetantur, ideſt quartus nonageſimus & centeſimus trigeſimus tertius.

DIſpoſito ordine pſalmodiæ diurnæ, reliqui omnes pſalmi qui ſuperſunt æqualiter diuidantur in ſeptem noctium vigilias partiendo ſcilicet qui inter eos prolixiores ſunt pſalmi: & duodecim per vnamquamque conſtituantur noctem. Hoc præcipue commonentes, vt ſi cui forte hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit: ordinet ſi melius aliter iudicauerit: dummodo omnimodis id attendatur: vt omni hebdomada pſalterium integro numero centum quinquaginta pſalmorum pſallatur, & dominico die ſemper a capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners deuotionis ſuæ ſeruitium oſtendũt monachi qui minus pſalterio cum canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt: cum legamus, ſanctos patres noſtros vno die hoc ſtrenuè impleſſe: quod nos tepidi vtinam ſeptimana integra perſoluamus.

De diſciplina pſallendi. Cap. XIX.

VBique credimus diuinam eſſe præſentiam: oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos, & malos. Maxime tamen hoc ſine aliqua dubitatione credimus, cum ad opus diuinum aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus quod ait propheta.

Ser-

Seruite domino in timore, & iterum: Pſallite ſapienter, & in conſpectu Angelorum pſallam tibi. Ergo conſideremus qualiter oporteat nos in conſpectu diuinitatis & Angelorum eſſe: & ſic ſtemus ad pſallendũ, vt mens noſtra cõcordet voci noſtræ.

De reuerentia orationis. Cap. XX.

SI cum hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuerſorum cum omni humilitate & puritatis deuotione ſupplicandum eſt. Et non in multiloquio: ſed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri ſciamus. Et ideo breuis debet eſſe & pura oratio, niſi forte ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuiter oratio, & facto ſigno a priore omnes pariter ſurgant.

De decanis monaſterij. Cap. XXI.

SI maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis fratres boni teſtimonij & ſanctæ conuerſationis: & conſtituantur decani qui ſollicitudinẽ gerant ſuper decanias ſuas in omnibus ſecundũ mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Qui decani tales eligantur non per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam. Quod ſi quis ex eis aliqua forte inflatus ſuperbia repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel & iterum & tertio, ſi ſe emendare noluerit, deijciatur, & alter in locum, eius qui dignus ſit ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

Quomo-

Quomodo dormiant monachi. Cap. XXII.

SInguli per ſingulos lectos dormiant. Lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundum diſpenſationem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non ſinit: deni aut viceni cum ſenioribus ſuis, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela iugiter in eadem cella ardeat vſque mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus: cultellos ad latus non habeant dum dormiunt: ne forte per ſomnium vulnerentur dormientes. Et parati ſint monachi ſemper, vt facto ſigno abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modeſtia. Adoleſcentiores fratres iuxta ſe non habeãt lectos, ſed permixti ſint cum ſenioribus. Surgentes verò ad opus Dei inuicẽ ſe moderatè cohortẽtur propter ſomnolentorum excuſationes.

De excommunicatione culparum. Cap. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ regulæ, & præceptis ſeniorum ſuorum, contemptor repertus fuerit, hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel, & ſecundò ſecretè à ſenioribus ſuis, ſi non ſe emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus: ſi verò neque ſic ſe correxerit: ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat. Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

Qualis debeat eſſe modus excommunicationis. Cap. XXIV.

SEcundum modum culpæ excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, tantùm à menſæ participatione priuetur. Priuati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio, vt in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt fratrum refectionem ſolus accipiat menſura vel hora qua prouiderit Abbas ei competere, vt ſi, verbi gratia, fratres reficiunt ſexta hora, ille frater nona; ſi fratres nona, ille veſpertina, vſquedum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

De grauioribus culpis. Cap. XXV.

IS autem frater qui grauioris culpæ noxa tenetur: ſuſpendatur à menſa ſimul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis. Traditum huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat, menſura vel hora qua prouiderit ei Abbas competere; nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

De his qui ſine iuſſione Abbatis iunguntur excommunicatis. Cap. XXVI.

SI quis frater præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere, aut loqui cum

eo

eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat Abbas ſollicitus eſſe circa excommunicatos. Cap. XXVII.

OMni ſollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non eſt opus ſanis medico, ſed male habentibus. Et ideo vti debet omni modo vt ſapiens medicus, immittere quaſi occultos cõſolatores ſenipetas, ideſt ſeniores ſapientes fratres, qui quaſi ſecretè conſolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis ſatisfactionem, Et conſolentur eum ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Sed ſicut ait Apoſtolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet ſollicitudinẽ gerere Abbas, & omnĩ ſagacitate, & induſtria curare, ne aliquam de ouibus ſibi creditis perdat. Nouerit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ cõminationem per quem dicit Deus. Quod craſſum videbatis aſſumebatis, & quod debile erat, proijciebatis. Et paſtoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem quæ errauerat quærere: cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, vt eam ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

De his qui ſæpius correpti non ſe emendauerint. Cap. XXVIII.

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa: ſi etiã excommunicatus, non ſe emendauerit, acrior ei accedat correptio, ideſt vt verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita correxerit aut fortè (quod abſit) in ſuperbiã elatus, etiã

defendere voluerit opera ſua, tunc Abbas faciat quod ſapiens medicus. Si exhibuit fomenta, ſi vnguenta adhortationum, ſi medicamina ſcripturarũ diuinarũ, ſi ad vltimũ vſtionẽ excommunicationis vel plagas virgarum, & ſi viderit, nihil ſuam præualere induſtriam, adhibeat etiam, quod maius eſt, ſuam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit; tunc iam vtatur Abbas ferro abſciſſionis, vt ait Apoſtolus. Auferte malum ex vobis. Et iterum. Infidelis ſi diſcedit, diſcedat, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet.

Si debeant recipi fratres egreſſi de monaſterio. Cap. XXIX.

FRater qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt; & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quod ſi denuo exierit, vſque tertio ita recipiatur. Iam vero poſtea ſciat, omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

De pueris minori ætate qualiter corripiantur. Cap. XXX.

OMnis ætas vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideoque quoties pueri vel adoleſcentiores ætate, aut qui minus intelligere poſſunt quanta pœna ſit excommunicationis, hi tales cum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, vt ſanentur.

Qualis

Qualis debat eſſe cellarius monaſterij. Cap. XXXI.

CEllarius monaſterij eligatur de congregatione ſapiens, maturus morib. ſobrius, non multum edax; non elatus, nō turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus: ſed timens Deum, qui omni congregationi ſit ſicut pater. Curam gerat de omnibus, ſine iuſſione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur cuſtodiat: fratres non contriſtet. Si quis autem frater ab eo aliqua fortè irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet: ſed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget: animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius apoſtolici præcepti, Quia qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, infantium, hoſpitum, pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Omnia vaſa monaſterij cunctamque ſubſtantiam ac ſi altaris vaſa ſacrata conſpiciat, nihil ducat negligendum, neque auaritiæ ſtudeat: neque prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ monaſterij. Sed omnia menſuratè faciat, & ſecundum iuſſionem Abbatis ſui. Humilitatem ante omnia habeat: & cui ſubſtantia non eſt quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus, quia ſcriptum eſt; Sermo bonus ſuper datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua, quibus cū prohibuerit non præſumat. Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel mora offerat, vt non ſcandalizentur, memor diuini eloquij quid mereatur qui ſcandalizauerit vnum de puſillis. Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur a quibus adiutus & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. Horis competentibus dentur quæ ſunt: & petantur quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur neque contriſtetur in domo Dei.

De ferramentis monaſterij. Cap. XXXII.

SVbſtantiæ monaſterij in ferramentis vel veſtibus, ſeu quibuslibet rebus; prouideat abbas fratres de quorum vita vel moribus ſecurus ſit: & eis ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda atque recolligenda. Ex quibus abbas breuem teneat: vt cum ſibi in ipſa aſſignata, fratres viciſſim ſuccedunt: ſciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem ſordide aut negligenter res monaſterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, diſciplinæ ſubiaceat.

Si quid debeant monachi proprium habere. Cap. XXXIII.

PRæcipue hoc vitium radicitus amputetur de monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine iuſſione abbatis, neq; aliquid habere proprium, nullam omnino rem: neq; codicem: neque tabulas, neque graſium, ſed nihil omnino, quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia verò neceſſaria a patre monaſterij ſperare, neque quicquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, vt ſcriptum eſt, nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat vel præſumat. Quod ſi quiſquam hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel, & iterum, ſi non emendauerit correctioni ſubiaceat.

Si

Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere. Cap. XXXIIII.

SIcut ſcriptum eſt diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat: Vbi non dicimus vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit: ſed infirmitatum conſideratio. Vbi qui minus indiget: agat Deo gratias, & non contriſtetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia: & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque cauſa, in aliquo qualicunque verbo vel ſignificatione appareat: Quod ſi deprehenſus fuerit quis, diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.

De ſeptimanarijs coquinę. Cap. XXXV.

FRatres ſic ſibi inuicem ſeruiant, vt nullus excuſetur à coquinæ officio: niſi aut ægritudine, aut in cauſa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde maior merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, vt non cum triſtitia hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia ſecundum modũ congregationis aut poſitionem loci. Si maior congregatio fuerit, cellerarius excuſetur à coquina: vel ſi qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò ſibi ſub charitate inuicem ſeruiant. Egreſſurus de ſeptimana, Sabbato munditias faciat. Linteamina, cum quibus ſibi fratres manus ac pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipſe qui egreditur, quã ille qui intraturus eſt, omnibus lauent. Vaſa miniſterij ſui munda & ſana, cellerario reconſignet, qui cellerarius item intranti conſignet: vt ſciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes & panem, vt hora refectionis ſine murmuratione & graui labore ſeruiant fratribus ſuis. In diebus tamen ſolemnibus, vſque ad miſſas ſuſtineant. Intrantes autem & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox matutinis finitis, dominica, omnium genibus prouoluantur poſtulantes pro ſe orari. Egrediens autem de ſeptimana dicat hunc verſum. Benedictus es domine Deus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me. Quo dicto, tertiò accipiat benedictionem egrediens. Subſequatur ingrediens & dicat. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus, & accepta benedictione, ingrediatur.

De infirmis fratribus. Cap. XXXVI.

Infirmorum cura ante omnia & ſuper omnia adhibenda eſt, vt ſicut re vera Chriſto, ita eis ſeruiatur, quia ipſe dixit. Infirmus fui, & viſitaſtis me. Et quòd feciſtis vni de his minimis meis, mihi feciſtis. Sed & ipſi infirmi, conſiderēt in honorem Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent fratres ſuos ſeruientes ſibi. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis ſit cella ſuper ſe deputata, & ſeruitor timens Deum, & diligens ac ſollicitus. Balneorum vſus infirmis quoties expedit offeratur, ſanis autem & maxime iuuenibus tardius concedatur. Sed & carnium eſus infirmis omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, a carnibus more ſolito omnes abſtineant: curam autem maximam habeat Abbas ne a cellerarijs aut ſeruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipſum reſpicit, quid quid a diſcipulis delinquitur.

De ſenibus vel infantibus. Cap. XXXVII.

Licet ipſa natura humana trahatur, ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet, & infantum, tamen & regulæ auctoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas: & nullatenus eis diſtrictio regulæ teneatur in alimentis, ſed ſit in eis pia conſideratio, & præueniant horas canonicas.

De hebdomadario lectore. Cap. XXXVIII.

Menſis fratrum edentium lectio deeſſe non debet, nec fortuito caſu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, ſed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt miſſas & communionem, petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab eo Deus ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in oratorio tertio ab omnibus, ipſo tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et ſic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat ſilentium ad menſam, vt nullius muſitatio vel vox niſi ſolius legentis ibi audiatur. Quæ verò neceſſaria ſunt comedentibus & bibentibus, ſic ſibi inuicem miniſtrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cuiuſcunque ſigni potius petatur, quam voce ne præſumat tibi aliquis de ipſa lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occaſio, niſi forte prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum, priuſquàm incipiat legere, propter communionem ſanctam: & ne forte graue ſit ei ieiunium ſuſtinere. Poſtea autem cum coquinæ hebdomadarijs, & ſeruitoribus reficiatur.

Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, ſed qui ædificent audientes.

De menſura ciborum. Cap. XXXIX.

SVfficere credimus ad refectionem quotidianam tam ſextæ, quam nonæ omnibus menſis cocta duo pulmentaria, propter diuerſorum infirmitates, vt forte qui ex vno non potuerit edere ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus ſufficiant. Et ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propenſa ſufficiat in die, ſiue vna ſit refectio, ſiue prandij & cœnæ. Quod ſi cœnaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à cellerario reſeruetur, reddenda cœnaturis. Quod ſi labor forte factus fuerit maior, in arbitrio & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt nunquam ſurrepat monacho indigeries. Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano quomodo crapula, ſicut ait dominus noſter. Videte ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem ſeruetur quantitas: ſed minor quam maioribus, ſeruata in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum omnino ab omnibus abſtineatur commeſtio: præter ab omnino debilibus & ægrotis.

De menſura potus. Cap. XL.

VNuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius ſic, alius vero ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victus aliorum conſtituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi

aut

aut loci neceſſitas, vel labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio prioris conſiſtat: conſiderando in omnibus ne ſurrepat ſatietas, aut ebrietas, licet legamus vinum omnino monachorum non eſſe. Sed quia noſtris temporibus id monachis perſuaderi non poteſt: ſaltem vel hoc conſentiamus, vt non vſque ad ſacietatem bibamus: ſed parcius, quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. Vbi autem neceſſitas loci expoſcit, vt nec ſupraſcripta menſura inueniri poſſit, ſed multò minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc autem ante omnia admonemus, vt abſque murmurationibus ſint.

Quibus horis oporteat reficere fratres. Cap. XLI.

A Sancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem tota æſtate, ſi labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quarta, & ſexta feria ieiunent, vſque ad nonam, reliquis verò diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandij ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis ſit prouidentia. Et ſic omnia temperet, atque, diſponat, qualiter animæ ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque, vlla murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembris, vſque ad caput Quadrageſimæ, ad nonam ſemper reficiantur fratres. In Quadrageſima verò vſque ad Paſcha ad Veſperam reficiantur. Ipſa tamen veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficiendi: ſed luce adhuc diei omnia conſummentur. Sed & omni tempore ſiue cœnæ ſiue refectionis hora ſic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia.

Vt poſt Completorium nemo loquatur. Cap. XLII.

OMni tempore ſilentio debent ſtudere monachi: maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore ſiue ieiunij ſiue prandij: ſi tempus fuerit prandij, mox vt ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes vel vitas patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes, non autem Eptaticum aut Regum. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc ſcripturam audire alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta veſpera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus, & lectis quatuor aut quinq. folijs vel quantum hora permittit, omnibus in unum occurrentibns per hanc moram lectionis: ſi quis forte in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum poſiti compleant. Et exeuntes à completorio nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod ſi inuentus fuerit quiſquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam: grauiori vindictæ ſubiaceat, excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſuperuenerit, aut forte Abbas alicui aliquid iuſſerit. Quod tamen & ipſum cum ſumma grauitate & moderatione honeſtiſſime fiat.

De his qui ad opus Dei vel ad menſam tarde accurrunt. Cap. XLIII.

AD horam diuini officij, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus: ſumma cum feſtinatione curratur, cum grauitate tamen: vt non ſcurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt gloriam pſalmi nonageſimi-

ſimiquarti (quem propter hoc omnino protrahendo & moroſè volumus dici) occurrerit,non ſtet in ordine ſuo in choro: ſed vltimus omnium ſtet:aut in loco quem talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas, vt videatur ab ipſo vel ab omnibus, vſque dum completo opere Dei, publica ſatisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendentur. Nam ſi extra oratorium remaneant,erit forte talis qui ſe, aut collocet, & dormiat, aut certè ſedeat foris, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno. Sed ingrediatur intro, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur.

DIurnis autem horis qui ad opus Dei poſt verſum & gloriam primi pſalmi, qui poſt verſum dicitur, occurrerit, lege, quam ſupra diximus : in vltimo ſtet: nec præſumat ſociari choro pſallentium vſq; ad ſatisfactionem : niſi forte Abbas licentiam dederit permiſſione ſua, ita tamen vt ſatisfaciat reus ex hoc. Ad horam verò refectionis qui ante verſum non occurrerit vt ſimul omnes dicant verſum & orent : & ſub vno omnes accedant ad menſam : qui per negligentiam ſuam, aut vitium non occurrerit, vſque ad ſecundam vicem pro hoc corripiatur. Si denuo non ſe emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus a conſortio omnium, reficiatur ſolus ſublata ei portione ſua vini vſque ad ſatisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur qui & ad illum verſum non fuerit præſens qui poſt cibum dicitur. Nec quiſquam præſumat ante ſtatutam horam vel poſtea quicquam cibi vel potus percipere. Sed & ſi cui offertur aliquid a priore, & accipere renuerit, hora qua deſiderauerit, hoc quod prius recuſauit, aut aliud omnino non percipiat, vſque ad emendationem congruam.

De-

De his qui excommunicantur quomodo ſatisfaciant. Cap. XLIV.

QVi pro grauioribus culpis ab oratorio & a menſa excommunicatur: hora qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores otatorij proſtratus iaceat, nihil dicens: niſi tantum poſito in terra capite, & proſtratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus ſe proijciat. Et hoc tamdiu faciat, vſque dum Abbas iudicauerit ſatisfactum eſſe. Qui cum iuſſus ab Abbate venerit, prouoluat ſe ipſius Abbatis pedibus, deinde omnium veſtigijs fratrum, vt orent pro eo. Et tunc ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quo Abbas decreuerit ita ſane vt pſalmum aut lectionem, vel aliud quid non præſumat in oratorio intonare, niſi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei proijciat ſe in terram in loco in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iubeat iterum Abbas vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantum a menſa, in oratorio ſatisfaciant vſq; ad iuſſionem Abbatis: Et hoc ſemper faciant vſq; dum benedicat, & dicat ſufficit.

De his qui falluntur in oratorio. Cap. XLV.

SI quis dum pronunciat pſalmum, reſponſorium: antiphonam, vel lectionem, fallitur, niſi cum ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt. Cap. XLVI.

SI quis dum in labore quouis in coquina, in celleraria, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit vbiuis, & non veniens continuo ante Abbatem vel congregationem ipſe vltrò ſatisfecerit & prodiderit delictum ſuum, cum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi. Si animæ verò peccati cauſa latens fuerit, tantum Abbati aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua & aliena vulnera, non detegere, ac publicare.

De ſignificanda hora operis Dei. Cap. XLVII.

NVncianda hora operis Dei die noctuque ſit cura Abbati, vt ipſe nunciet, aut tali ſollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur, pſalmos autem vel antiphonas, poſt Abbatem ordine ſuo quibus iuſſum fuerit imponãt. Cantare autem & legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officiũ implere, vt ædificentur audientes. Quod cũ humilitate & grauitate, & tremore fiat, & ab eo cui iuſſerit Abbas.

De opere manuum quotidiano. Cap. XLVIII.

OTioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum

horis

horis in lectione diuina. Ideoque hac diſpoſitione credimus vtraque tempora ordinari, ideſt vt a paſcha vſque ad Kalend. Octobris, mane exeuntes a prima vſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta vſque ad horam quaſi ſextam lectioni vacent, poſt ſextã autem ſurgentes a menſa pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio aut forte qui voluerit ſibi legere, ſic legat, vt alium non inquietet. Agatur nona temporius mediante octaua hora, & iterum quod faciendum eſt operetur vſque ad veſperam. Si autem neceſſitas loci aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur. Quia tunc veri monachi ſunt ſi de labore manuum ſuarum, viuunt, ſicut & patres noſtri, & Apoſtoli. Omnia tamen mẽſuratè fiant propter puſillanimes.

A Kalend. autem Octobris vſque ad caput Quadrageſimæ vſque ad horam ſecundam plenè lectioni vacent, hora ſecunda agatur tertia, & vſque ad nonam omnes in opus ſuum laborent quod eis iniungitur. facto autem primo ſigno horæ nonæ, diſiungant ſe ab opere ſuo ſinguli, & ſint parati cum ſecundum ſignum pulſauerit. Poſt refectionem autem vacent lectionibus ſuis aut pſalmis.

IN Quadrageſimæ verò diebus a mane vſque ad tertiam, plenè lectioni vacent, & vſque ad decimam plenè operentur quod eis iniungetur. In quibus diebus Quadrageſimæ accipiant omnes ſingulos codices de bibliotecha, quos per ordinem ex integro legant, qui codices in capite Quadrageſimæ dandi ſunt. Ante omnia ſane deputentur vnus, aut duo ſeniores, qui circumeant monaſterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant ne forte inueniatur frater accidioſus, qui vacet ocio aut fabulis, & non ſit intentus lectioni, & non ſolum ſibi inutilis ſit, ſed etiam alios extollat. Hic talis ſi (quod abſit) repertus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundo ſi non emendauerit, correptioni regulari ſubiaceat, taliter vt cæteri metum

ha-

habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his qui varijs officijs deputati ſunt. Si quis verò ita negligens & deſidioſus fuerit, vt non velit aut non poſſit meditari aut legere, iniungatur ei opus quod faciat vt non vacet. Fratrib. infirmis aut delicatis opera aut ars iniungatur, vt nec ocioſi ſint, nec violentia laboris opprimantur vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

De Quadrageſimæ obſeruatione. Cap. XLIX.

Licet omni tempore vita monachi Quadrageſimę debeat obſeruationem habere, tamen quia paucorum eſt iſta virtus, ideo ſuademus iſtis diebus. Quadrageſimę omni puritate vitam ſuam cuſtodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus ſanctis diluere. Quod tunc dignè fit, ſi ab omnibus vitijs nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis atque abſtinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſeruitutis noſtræ, orationes peculiares, ciborum & potus abſtinentiam, & vnuſquiſq; ſuper menſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio ſancti ſpiritus offerat Deo, ideſt ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderij gaudio ſanctum paſcha expectet. Hoc ipſum tamen quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod ſine permiſſione patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.

De fratribus qui longe ab oratorio laborant aut in via ſunt. Cap. L.

FRatres qui omnino longe ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit quia ita eſt, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed vt poſſunt agant ſibi, & ſeruitutis penſum non negligant reddere.

De fratribus qui non ſatis longe proficiſcuntur. Cap. LI.

FRatres qui pro quouis reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reuerti ad monaſterium, non præſumant foris manducare, etiam ſi a quouis rogentur, niſi forte eis ab Abbate ſuo præcipiatur. Quod ſi aliter fecerint, excommunicentur.

De oratorio monaſterij. Cap. LII.

ORatorium hoc ſit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt frater qui forte ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed ſi alter vult ſibi forte ſecretus orare, ſimpliciter intret, & oret non in clamoſa voce, ſed in lachrymis & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in oratorio, ſicut dictum eſt: ne alius impedimentum patiatur.

De

De hoſpitibus ſuſcipiendis. Cap. LIII.

OMnes ſuperuenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur, quia ipſe dicturus eſt. Hoſpes fui & ſuſcepiſtis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè tamen domeſticis fidei & peregrinis. Vt ergo nunciatus fuerit hoſpes, occurratur ei à priore vel a fratribus cum omni officio charitatis, primitus orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace, quod pacis oſculum non prius offeratur niſi oratione pręmiſſa propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſaluatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus ſiue diſcedentibus hoſpitibus inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur. Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem, & poſtea ſedeat cum eis prior, aut cui iuſſerit ipſe. Legatur coram hoſpite lex diuina, vt ædificetur, & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium à priore frangatur propter hoſpitem, niſi forte præcipuus ſit dies ieiunij quod non poſſit violari. Fratres autem conſuetudines ieiuniorum proſequantur. Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det, pedes verò hoſpitibus omnibus tam Abbas quàm cuncta cõgregatio lauet, quibus locis hunc verſum dicant. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Pauperum autem & peregrinorum maximè ſuſceptio omni cura ſollicite exhibeatur, quia in ipſius Chriſtus magis ſuſcipitur. Nam diuitum terror ipſe ſibi exigit honorem.

COquina Abbatis, & hoſpitum per ſe ſit, vt incertis horis ſuperuenientes hoſpites, qui nunquam deſunt monaſterio, non inquietent fratres in quam coquinam ingrediantur duo fratres ad annum, qui ipſum officium bene impleant. Quibus vt indigent, ſolatia adminiſtrentur, vt abſque murmuratione ſeruiant. Et iterum quando occupationem minorem habent

exeant vbi eis imperatur in opera. Et non ſolum in ipſis: ſed & in omnibus officijs monaſterij iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolatia accomodentur quando vacant, obediant imperanti. Item &.cellam hoſpitum habeat aſſignatam frater, cuius animam timor Dei poſſideat, vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur. Hoſpitibus autem cui non præcipitur, nullatenus ſocietur neque colloquatur. Sed ſi obuiauerit, aut viderit, ſalutaris humiliter, vt dictum eſt, & petita benedictione pertranſeat, dicens ſibi non licere colloqui cum hoſpite.

Vt non debeat monachus literas vel eulogia ſuſcipere. Cap. LIV.

NVllatenus liceat monacho nec a parentibus ſuis, nec a quoquam hominum, nec ſibi inuicem literas, aut eulogia, vel quælibet munuſcula accipere aut dare, ſine præcepto Abbatis ſui. Quod ſi etiam a parentibus ſuis ei quicquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Abbati. Quod ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate cui illud iubeat dari, & nō contriſtetur frater, cui forte directum fuerat, vt non detur occaſio diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit diſciplinæ regulari ſubiaceat.

De veſtimentis vel calciamentis fratrum. Cap. LV.

VEſtimenta fratribus ſecundum locorum qualitatem vbi habitant, vel aerum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur: calidis verò minus. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem ſit. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus monachis per ſingulos cucullam & tunicam,

cam, cucullam in hyeme villoſam: in æſtate puram aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera: Indumenta pedum pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut groſſitudine non cauſentur monachi, ſed quales inueniri poſſunt in prouincia in qua habitant: aut quod vilius comparari poteſt. Abbas autem de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus eis, ſed menſurata. Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, deponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipſa res. Nam quod ſuperfuerit, & ſuperfluum eſt, amputari debet. Et pedules & quodcunque eſt vetuſtum, reddant cum accipiunt nouum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant: qui reuertentes, lota ibi reſtituant. Et cucullæ, & tunicæ ſint aliquanto his, quas habere ſoliti ſunt meliores, quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario: & reuertentes reſtituant.

STramenta autem lectorum ſufficiant matta, ſagum, lena, & capitale; Qui tamen lecti frequenter ab Abbate ſcrutandi ſunt propter opus peculiare, ne inueniatur; & ſi cui inuentum fuerit quod ab Abbate non acceperit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat. Et hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ ſunt neceſſaria, id eſt cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, vt omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorũ, quod dabatur ſingulis prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs ſuis Dei retributione cogitet.

De

De menſa Abbatis. Cap. LVI.

*minus MEnſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quoties tamen *vnus ſunt hoſpites, quos vult de fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniorum tamen vnum aut duos ſemper cum fratribus dimittendos procuret propter diſciplinam.

De artificibus monaſterij. Cap. LVII.

ARtifices, ſi ſunt in monaſterio cum omni humilitate & reuerentia faciant ipſas artes, ſi tamen iuſſerit Abbas. Quod ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, eo quod videatur aliquid conferre monaſterio, hic talis euellatur ab ipſa arte, & denuo per eam non tranſeat, niſi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre. Memorentur Ananiæ, & Saphiræ, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monaſterij fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem pretijs non ſurrepat auaritiæ malum, ſed ſemper aliquantulum vilius detur quam ab alijs ſæcularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

De diſciplina ſuſcipiendorum fratrum. Cap. LVIII.

NOuiter veniat ſi quis ad conuerſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus. Sed ſicut ait Apoſtolus, probentur ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Ergo ſi venies perſeuerauerit pulſans, & il-

illatas ſibi iniurias & difficultatem ingreſſus, poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ, annuatur ei ingreſſus, & ſit in cella hoſpitum paucis diebus. Poſtea autem ſit in cella nouitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat. Et ſenior ei talis deputetur qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omnino curioſe intendat, & ſollicitus ſit, ſi verè Deum quærit, & ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aſpera, per quæ itur ad Deum, & ſi promiſerit de ſtabilitatis ſuę perſeuerantia, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex ſub qua militare vis, ſi potes obſeruare, ingredere: ſi verò non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium circulum relegatur ei regula, vt ſciat ad quid ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadē regula. Et ſi habita ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione, ſciens ſe ſub lege regulæ conſtitutum, quòd ei ex illa die non liceat egredi de monaſterio, nec collum excutere ſub iugo regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare aut ſuſcipere.

SVſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſionem morum ſuorum, & obedientiam coram Deo & ſanctis eius, vt ſi aliquando aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat quem irridet. De qua promiſſione ſua faciat petitionē ad nomen ſanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt, & abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat, aut certe ſi non ſcit literas, alter ab eo rogatus ſcribat, & ille nouitius ſignū faciat, & manu ſua eam ſuper altare ponat. Quam cum poſuerit, incipiat ipſe nouitius mox hunc verſum. Suſcipe me domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis congre-

ga-

gatio tertio reſpondeat, adiungens Gloria Patri. Tunc ipſe frater nouitius proſternatur ſingulorum pedibus vt orent pro eo, & iam ex illa hora in congregatione reputetur. Res ſi quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta ſolemniter donatione, conferat monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus, quippe qui ex illo die, nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus monaſterij. Illa autem veſtimenta quibus exutus eſt, reponantur in veſtiario conſeruanda, vt ſi aliquando ſuadente diabolo, conſenſerit vt egrediatur de monaſterio (quod abſit) Tunc exutus rebus monaſterij proijciatur. Illam tamen petitionem quam deſuper altare Abbas tulit, non recipiat, ſed in monaſterio reſeruetur.

De filijs nobilium, vel pauperum qui offeruntur. Cap. LIX.

SI quis forte de nobilibus offert filium ſuum Deo in monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes eius faciant petitionem, quam ſupra diximus, & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri inuoluant in palla altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis in præſenti petitione promittat ſub iureiurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi. Vel certe ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam monaſterio pro mercede ſua, faciant ex rebus quas dare volunt monaſterio, donationem reſeruato ſibi (ſi ita voluerint) vſufructuario. Atque ita omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

De

De ſacerdotibus qui voluerint in monaſterio habitare. Cap. LX.

SI quis de ordine ſacerdotum in monaſterio ſe ſuſcipi rogãuerit, non quidem citius aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem regulæ diſciplinam ſeruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit ſicut ſcriptum eſt. Amice ad quid veniſti? Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare & benedicere, aut miſſas tenere, ſi tamen iuſſerit ei Abbas. Sin aliàs, nullatenus aliqua præſumat, ſciens ſe diſciplinæ regulari ſubditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si forte ordinationis, aut alicuius rei cauſa fuerit in monaſterio: illũ locum attendat quando ingreſſus eſt monaſteriũ, non illum qui ei pro reuerentia ſacerdotij conceſſus eſt. Clericorum autem ſi quis eodem deſiderio monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipſe tamen ſi promittit de obſeruatione regulæ vel propria ſtabilitate.

De monachis peregrinis qualiter ſuſcipiantur. Cap. LXI.

SI quis monachus peregrinus de longinquis prouincijs ſuperuenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci quam inuenerit, & non forte ſuperfluitate ſua perturbat monaſterium: ſed ſimpliciter contentus eſt quod inuenerit, ſuſcipiatur quanto tempore cupit. Si qua ſanè rationabiliter & cum humilitate charitatis reprehendit, aut oſtendit, tractet Abbas prudenter ne forte eum propter hoc ipſum dominus direxerit. Si verò poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè, quia tempore hoſpitalitatis potuit eius vita dignoſci. Quod

ſi ſuperfluus, aut vitioſus inuectus fuerit tempore hoſpitalitatis: non ſolum non debet ſociari corpori monaſterij: verum etiam dicatur ei honeſtè, vt diſcedat, ne eius miſeria etiam alij vitientur. Quod ſi non fuerit talis, qui mereatur projici, non ſolum ſi petierit ſuſcipiatur congregationi ſociandus, verum etiam ſuadeatur vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur, & quia in omni loco vni domino ſeruitur, vni regi militatur. Quem ſi etiam talem eſſe perſpexerit Abbas liceat eum in ſuperiori aliquantulum conſtituere loco. Non ſolum autem monachum, ſed etiam de ſupradictis gradibus ſacerdotum vel clericorum, ſtabilire poteſt Abbas in maiori quam ingreditur loco, ſi eius talem proſpexerit eſſe vitam. Caueat autem Abbas ne aliquando de alio noto monaſterio monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

De ſacerdotibus monaſterij. Cap. LXII.

SI quis Abbas ſibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit ſacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciēs ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditum. Nec occaſione ſacerdotij obliuiſcatur regulæ obedientiam & diſciplinam, ſed magis, ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum ſemper attendat quo ingreſſus eſt monaſterium, præter officium altaris, etſi forte electio congregationis, & voluntas Abbatis, pro vitæ merito eū promouere voluerit. Qui tamen regulā à decani vel præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruandā ſciat. Quod ſi aliter præſumpſerit non vt ſacerdos, ſed vt rebellis iudicetur. Et ſæpe ammonitus ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quod ſi nec ſic emendauerit: clareſcentibus culpis projiciatur de monaſterio: ſi tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdi, aut obedire regulæ nolit.

De ordine congregationis. Cap. LXIII.

ORdines ſuos in monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vel vt Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi libera vtens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid: ſed cogitet ſemper quod de omnibus iudicijs, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo ſecundum ordines quos conſtituerit vel quos habuerint ipſi fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem: ad pſalmum imponendum, in choro ſtandum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur, in ordine, nec præiudicet, quia Samuel, & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (vt diximus) altiori cõſilio Abbas prætulerit vel degradauerit certis ex cauſis: reliqui omnes vt conuertuntur ita ſint, vt verbi gratia, qui ſecunda diei hora venerit in monaſterio, iuniorem ſe nouerit eſſe illo, qui prima hora diei venit, cuiuslibet ætatis aut dignitatis ſit.

PVeris verò omnia ab omnibus diſciplina teneatur. Iuniores ergo priores ſuos honorent: priores iuniores ſuos diligant. In ipſa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine: ſed priores iuniores ſuos fratres nominent: iuniores autem priores ſuos nonnos vocent quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Chriſti agere videtur: domnus & Abbas vocetur, non ſua aſſumptione, ſed honore & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet, & ſic ſe exhibeat: vt dignus ſit tali honore: Vbicunq. autem ſibi obuiant fratres, iunior a priore benedictionem petat tranſeunte maiore iunior ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat iunior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus, vt fiat quod ſcriptum eſt. Honore inuicem præuenientes. Pueri vel adoleſcentes in oratorio vel ad menſam cum diſciplina ordines ſuos conſequantur:

ſoris autem vel vbiubi cuſtodiam habeant & diſciplinam vſque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

De ordinando Abbate. Cap. LXIV.

IN Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur quem ſibi omnis concors congregatio ſecundum timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis parua congregationis ſaniori conſilio elegerit, vitæ autem merito & ſapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus eſt etiam ſi vltimus fuerit in ordine congregationis. Quod ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidē abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit: & vitia ipſa aliquatenus in notitiam epiſcopi, ad cuius diœceſim pertinet locus ipſe, vel Abbatibus aut Chriſtianis vicinis claruerint: prohibeant prauorum præualere conſenſum, ſed domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam ſi illud caſte & zelo Dei faciant, ſicut e contrario peccatum incurſuros ſi negligant.

ORdinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit: cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ: ſciatque ſibi oportere prodeſſe magis quam præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege diuina: vt ſciat vnde proferat noua & vetera, caſtum, ſobrium, miſericordem, & ſemper ſuperexaltet miſericordiam iudicio: vt idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat: & ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas, ſuamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque, calamum quaſſatū non conterendum. In quibus non dicimus vt permittat nutriri vitia, ſed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire: ſicut iam diximus, & ſtudeat plus amari quam timeri. Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus & nimis ſuſpicio-

cioſus: quia nunquam requieſcet. In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus, & conſideratus, ſiue ſecundum Deum, ſiue ſecundum ſæculum ſint. Opera quæ iniungit, diſcernat, & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentis, Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur cuncti vno die. Hæc ergo aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet: vt ſit quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè vt præſentem regulam in omnibus conſeruet, vt cum bene miniſtrauerit, audiat a Domino, ſeruus bonus, qui erogauit triticum conſeruis ſuis in tempore ſuo, Amen dico vobis ait, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

De Præpoſito monaſterij. Cap. LXV.

SAepius quidem contingit vt per ordinationem Præpoſiti ſcandala grauia in monaſterijs oriantur, dum ſunt aliqui magno ſpiritu ſuperbiæ inflati, qui exiſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt & diſſenſiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem ſacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum facilè aduertitur, quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi: dum ei ſuggeritur a cogitationibus ſuis exutum ſe eſſe a poteſtate Abbatis ſui: quia ab ipſis eſt ordinatus a quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur inuidiæ, rixæ, & detractiones, æmulationes, diſſentiones, & inordinationes, & dum contraria ſibi inuicem Abbas præpoſitusque ſentiunt & ipſorum neceſſe eſt ſub hac diſſentione animas periclitari, & hi qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos reſpicit in capite: qui talibus in ordinatione ſe fecerunt auctores.

Ideo-

IDeoque nos præuidemus expedire propter pacis charitatiſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monaſterij ſui, & ſi poteſt fieri per decanos ordinetur: vt antea diſpoſuimus omnis vtilitas monaſterij: prout Abbas diſpoſuerit: vt dum pluribus committitur vnus non ſuperbiat. Quod ſi aut locus expetit aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum conſilio fratrum timentium Deum ordinet ipſe ſibi Præpoſitum. Qui tamen Præpoſitus illa agat cum reuerentia, quę ab Abbate ſuo ei iniūcta fuerit. nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens: quia quantum prę latus eſt cæteris, tantum eum oportet ſolicite obſeruare præcepta regulæ. Qui Præpoſitus ſi repertus fuerit vitioſus, aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctę regulæ fuerit comprobatus: admoneatur verbis vſque quater ſi non emendauerit, adhibeatur ei correptio diſciplinæ regularis. Quod ſi neque ſic correxerit, tunc deijciatur de ordine præpoſituræ, & alius qui dignus ſit in loco eius ſubrogetur. Quod & ſi poſtea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas ſe de omnibus iudicijs ſuis Deo redditurum rationem, ne forte inuidię, aut zeli flamma vrat animam.

De oſtiarijs monaſterij. Cap. LXVI.

AD portam monaſterij ponatur ſenex ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum & reddere cuius maturitas eum non ſinat vagari. Qui portarius cellā debet habere iuxta portā, vt veniētes ſemper præſentē inueniat, a quo reſponſum accipiant. Et mox vt aliquis pulſauerit aut pauper clamauerit: Deo gratias reſpondeat, aut benedicat: & cum omni manſuetudine timoris Dei reddat reſponſum feſtinanter cum feruore charitatis. Qui portarius ſi indiget ſolatio, iuniorem fratrem accipiat. Monaſte-

ſterium autem ſi poſſit fieri, ita debet conſtrui, vt omnia neceſſaria, ideſt aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diuerſæ intra monaſterium exerceantur, vt non ſit neceſſitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem regulam ſæpius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum ſe de ignorantia excuſet.

De fratribus in via directis. Cap. LXVII.

DIrigendi fratres in via, omnium fratrum vel Abbatis orationi ſe comendent, ſemper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium abſentium fiat. Reuertẽtes autem de via fratres, ipſo die quo redeunt per omnes canonicas horas dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo oratorij, ab omnibus petãt orationẽ propter exceſſus, ne quid forte ſurrepſerit in via viſus aut auditus malæ rei aut ocioſi ſermonis. Nec præſumat quiſquam alijs referre, quæcunque extra monaſterium viderit, aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra monaſterij egredi, vel quocunque ire, vel quippiam quamuis paruum ſine Abbatis iuſſione facere.

Si fratri impoſſibilia iniunguntur. Cap. LXVIII.

SI cui fratri aliqua forte grauia, aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obebientia. Quod ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei qui ſibi præeſt patienter & opportune ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam, in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ita ſibi expedire, & charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

Vt

Vt in monaſterio non præſumat alter alterum defendere. Cap. LXIX.

SVmmopere præcauendum eſt, ne quauis occaſione præſumat alius aliũ defendere monachũ in monaſterio, aut quaſi tueri, etiam ſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id a monachis præſumatur, quia ex inde grauiſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt: Quod ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit acrius coerceatur.

Vt non præſumat quiſquam aliquem paſſim cædere aut excommunicare. Cap. LXX.

VEtetur in monaſterio omnis præſumptionis occaſio. Ordinamus atque conſtituimus, vt nulli liceat quemquam fratrum ſuorum excommunicare aut cædere, niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vſque ad quintumdecimum annum ætatis diſciplinæ diligentia ſit, & cuſtodia adhibeatur omnibus, ſed & hoc cum omni menſura & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto Abbatis vel in ipſos infantes ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat, quia ſcriptum eſt. Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.

Vt obedientes ſint ſibi fratres inuicem. Cap. LXXI.

OBedientiæ bonum, non ſolum Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi inuicem obediant fratres, ſcientes per obe-entiæ viam, ſe ituros ad Deum. Præmiſſo ergo Abbatis, aut æpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur imperio, cui non per-timus priuata imperia præponi, de cætero omnes iuniores ioribus ſuis omni charitate & ſollicitudine obediant. Quod quis contentioſus reperitur, corripiatur. Si quis autem fra-r pro quauis minima cauſa ab Abbate, vel a quocunque prio-ſuo corripitur quolibet modo, vel ſi leuiter ſenſerit animum ioris cuiuſcunque contra ſe iratum vel commotum, quamuis odicè, mox ſine mora tam diu proſtratus in terra ante pedes is iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedictione ſanetur illa mmotio. Quod ſi quis contempſerit facere, aut corporali vin-ctæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit, de monaſterio expel-ur.

e zelo bono quem debent monachi habere. Cap. LXXII.

Icut eſt zelus amaritudinis malus qui ſeparat a Deo, & ducit ad infernum; ita eſt & zelus bonus qui ſeparat a uitijs, & cit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruen-imo amore exerceant monachi, ideſt vt honore ſe inuicem æueniat. Infirmitates ſuas ſiue corporũ, ſiue morum patiẽtiſſi-e tolerent, obediẽtiam ſibi certatim impendant. Nullus quod i vtile iudicat ſequatur, ſed quod magis alij. Charitatem fra-nitatis, caſto impendant amore, Deum timeant, Abbatem im ſincera, & humili charitate diligant, Chriſto omnino

h ni-

nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

De eo quod non omnis obſeruatio iuſtitiæ in hac ſit regula conſtituta. Cap. LXXIII.

Regulam autem hanc deſcripſimus, vt eam obſeruantes in monaſterijs aliquatenus vel honeſtatem morum aut initium conuerſationis nos demonſtremus habere. Cæterum ad perfectionem conuerſationis qui feſtinant, ſunt doctrinę ſanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ. Aut quis liber ſanctorum catholicorum patrum hoc non reſonat, vt recto curſu perueniamus ad creatorem noſtrum? Necnè & collationes patrum & inſtituta & vitæ eorum, ſed & regula ſancti patris noſtri Baſilij, quid aliud ſunt niſi bene viuentium & obedientium monachorum exempla & inſtrumenta virtutum? Nobis autem deſidioſis & male viuentibus atque negligentibus rubor confuſionis eſt. Quiſquis ergo ad patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis regulam deſcriptam, adiuuante Chriſto perfice, & tunc demum ad maiora quæ ſupra commemorauimus, doctrinæ virtutumque culmina Deo protegente peruenies. Amen.

LAVS DEO.

ologus B. P. N. Benedicti in Regulam ſuam.. pag: 1
e generibus, & vita. Monachorum. Cap. 1. 4
ualis debeat eſſe Abbas. C. 2. 5
e adhibendis ad Conſilium fratribus. Cap. 3. 7
uæ ſunt inſtrumenta honorū operum. Cap. 4. 8
e obedientia. Cap. 5. 10
e Taciturnitate. Cap. 6. 11
e Humilitate. Cap. 7. 11
e officijs Diuinis in noctibus Cap. 8. 16
uanti Pſalmi dicendi ſunt no cturnis horis. Cap. 9. 16
ualiter æſtatis tempore Nocturna laus agatur. C. 10. 17
ualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur. Cap. 11. 18
ualiter Matutinorum ſolemnitas agatur. Cap. 12. 19
ualiter priuatis diebus Matutini agantur. Cap. 13. 19
ualiter in natalitijs Sanctorū Vigiliæ agantur. Cap. 14. 20
lleluia quibus temporibus dicatur. Cap. 15. 20
ualiter diuina Opera per diem agantur. Cap. 16. 20
uanti Pſalmi per eaſdem Horas dicendi ſunt. Cap. 17. 21
uo ordine Pſalmi dicendi ſunt. Cap. 18. 22
De diſciplina pſallēdi. C. 19. 23
De reuerentia Orōnis. C. 20. 24
De Decanis Monaſterij. Ca. 21. 24
Quomodo dormiant Monachi. Cap. 22. 25
De excommunicatione culparum. Cap. 23 25
Qualis debet eſſe modū excommunicationis. Cap. 24 26
De grauioribus culpis. C. 25. 26
De his, qui ſine iuſſione Abbatis iungunt ſe excommunicatis. Cap. 26. 26
Qualiter debeat eſſe ſolicitus Abbas circa excommunicatos. Cap. 27. 27
De his, qui ſæpius correcti non emendauerint. Cap. 28. 27
Si debeāt fratres iterum recipi de Monaſt. exeūtes. C. 29. 28
De pueris minori ætate qualiter corripiantur. Cap. 30. 28
De Cellerario Monaſterij qualis ſit. Cap. 31. 29
De ferramentis, vel rebus Monaſterij Cap. 32. 30
Si debeant Monachi aliquid habere. Cap. 33. 30
Si omnis æqualiter debeant neceſſaria accipere. Cap. 34. 31
De Septimanarijs coquinæ. Cap. 35. 31
De infirmis fratribus. C. 36. 32

De

De ſenib. vel infantib. C.37. 33
De hebdomadario lectore. Cap.38 33
De menſura ciborum. C.39. 34
De menſura potus. Cap.40. 35
Quibus horis oporteat reficere fratres. Cap.41 35
Vt poſt Completorium nemo loquatur. Cap.42 36
De his, qui ad opus Dei, vel ad menſam tardè occurrerint Cap.43. 36
De his, qui excommunicantur, qũo ſatisfaciant. C.44. 38
De his, qui falluntur in Oratorio. Cap.45 38
De his, qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt. C.46. 39
De ſignificanda hora operis Dei, Cap. 47. 39
De opere manuum quotidiano. Cap.48 39
De Quadrageſimæ obſeruatione. Cap.49 41
De fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sũt. Cap. 50 42
De fratribus, qui non ſatis longè proficiſcuntur. Ca.51. 42
De Oratorio Monaſt. C.52. 42
De hoſpitib. ſuſcipiẽdis c.53. 43
Vt non debeat Monachus literas, vel eulogia accipere. Cap.54 44
De veſtimẽtis & calceamentis fratrum. Cap. 55 44
De menſa Abbatis. Cap.56. 46
De artificibus Monaſt. C.57. 46
De diſciplina ſuſcipiendorum fratrum. Cap.58 46
De filijs nobilium, vel pauperũ, qui offeruntur. Ca.59. 48
De ſacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare. Cap.60 49
De Monachis peregrinis quo modo ſuſcipiantur. C.61. 49
De ſacerdotibus Monaſterij. Cap. 62 50
De ordinib. Congreg. C.63. 51
De ordinãdo Abbate. C.64. 52
De Pręposito Monaſt. C.65. 53
De Oſtiarijs Monaſt. C.66. 54
De fratribus in via directis. Cap.67 55
Si fratri impoſſibilia iniunguntur. Cap.68 55
Vt in monaſterio non pręſumat alter alterum defendere. Cap.69 56
Vt non præſumat quiſquam alium paſſim cædere, aut excommunicare. Cap.70 56
Vt obediẽtes ſint ſibi inuicem. Cap.71 57
De zelo bono, quem debent Monachi habere. Ca.72. 57
De eo, quod non omnis obſeruatio iuſtitiæ in hac ſit Regula conſtituta. Cap.73. 58

31-4-D-22

72

CONSTITVTIONES
MONACHORVM CONGREGATIONIS SANCTI BERNARDI IN ITALIA ORDINIS CISTERCIENSIS.

De tempore celebrationis Capituli generalis Congregationis, & ijs, qui ad illud accedere debent. Cap. I.

CAPITVLVM totius Congregationis Ciſtercienſis Italiæ ſingulo quoque triennio in vtraque Prouincia Tuſciæ, videlicet, ac Lombardiæ alternatim, tertia Dominica poſt Reſurrectionem Domini N. IESV CHRISTI, in Monaſterio per Definitores proximè præteriti Capituli deputato celebretur, ad quod
cedant Abbates omnes Monaſteriorum, pariterque Diſcreti
onaſteriorum habentium vltra quatuor Religioſos. Accedant
riter Abbates Viſitatores vtriuſque Prouinciæ, nec non & Ti-
lares S. Domnini Credariæ, & Sanctiſsimæ Trinitatis de Spi-
to, & Sanctæ Luciæ Comitatus Stalis ſine Diſcretis tamen,
c eorum cuiquam abeſſe liceat, niſi cauſa infirmitatis, quæ ta-
en à duobus infirmantis Monaſterio propinquioribus Prælatis
gnoſcatur, ac demum Capitulo notificetur: Abbas verò domi
manens ſtante (vt præfertur) legitimo aduerſæ valetudinis
pedimento ſuum munus cùm in ſpiritualibus tùm in tempora-
us omninò exerceat, atque exequatur, quinimo ei omnes re-
reantur, ac humiliter obediant, idque vſque ad noui Abbatis

aduentum: Accedant pariter ad Capitulum alij in eo vocem habentes, & quibus ex Conſtitutionibus ius competit ad illud accedendi: Nemo alius quiſquis ille ſit, ad Capitulum non vocatus accedere audeat, quod ſi quis auſus fuerit in numero fugitiuorum habeatur.

De Electione Diſcretorum. Cap. II.

IN vno trium dierum Dominicam Reſurrectionis ſequentium illius anni, quo fuerit celebrandũ Capitulũ in ſingulis Congregationis Monaſterijs habẽtibus quinque Religioſos eligãtur ſinguli Diſcreti ex numero ſaltẽ trium Sacerdotũ Vocaliũ cuiuslibet Monaſterij, cui electioni pro veritatis teſtimonio cæteri in d. Monaſterio, ſeu loco commorantes interſint. Ad effectum autem ne ad huiuſmodi electionem aliquis voce priuatus, aut eius incapax admittatur. Patres Regiminis infra totam hebdomadam Septuageſimæ illius anni in quo Capitulum celebrandum fuerit, declarent qui in ſingulo quoque Monaſterio ſint vocales, & huiuſmodi declarationem vocalium in Monaſterijs ad quæ reſpectiuè ſpectab t publicari faciant. Quod ſi à prædicta Dominica Septuageſimæ vſque ad tempus electionis Diſcretorum aliquis Vocalium ex ſuffectis vt ſupra obierit, vel aliquod delictũ commiſerit, pro quo voce actiua, & paſſiua veniat priuandus, vel etiam ad aliquam dignitatem fuerit aſſumptus, eo in caſu Regimen de alio, vel alijs reſpectiuè vt ſupra, prout opus fuerit; prouideat. Porrò forma in electione Diſcretorum ſeruanda hæc erit. Habeantur tria vaſcula, in quorum primo reponantur nomina in ſchedulis deſcripta omnium Monachorum non Sacerdotum, qui ſi tres ſaltem non fuerint, huiuſcemodi numerus ſufficiatur; ſeu compleatur, ex Conuerſis, vel etiam ſi opus fuerit ex perſonis ſæcularibus, prout Prælato, vel Vicario viſum fuerit. In ſecundo Vaſculo recludantur nomina in ſchedulis itidem deſcripta omnium Sacerdotum Vocalium illius loci reſidentium, vel etiam aliunde ſuffectorum tam abſentium, quàm præſentium.

In

n tertio verò recludantur tot ballottæ, quot erunt Sacerdotes ligibiles, quæ quidem ballottæ eiuſdem magnitudinis, formæ, ε coloris exiſtant præter vnam, quæ ab alijs colore tantum diſimilis exiſtat. Quæ omnia adeò fideliter, & ſine dolo efficianur, vt nullus fraudem omninò nec ſuſpicari queat. His iam perctis diuino Spiritus Sancti numine humiliter inuocato Prælaus, vel eo abſente, aut legitimè impedito eius Vicarius extraat è primo vaſculo ſchedulam, eamq. altiori voce legat, & qui orte productus, ac pronunciatus fuerit, accedat ad ſecundum aſculum in quo videlicet fuerint ſchedulæ Vocaliũ, mox educa alia ſchedula, ac lecta vt ſupra, is, qui pronunciatus fuerit d tertium vaſculum accedat, ſicq. alter ſchedulas, alter ballotas extrahat deponentes vterque cum ſchedulas, tùm ballottas c eductas ſuper menſam quouſque educatur ballotta cæteris olore diſſimilis, tunc enim Abbas acceptam ſchedulam ſimul ductam altiori voce publicè legat, illumque, cuius nomen chedula illa habuerit pronunciabit Diſcretum illius loci legitiè electum; Schedulæ verò ſic eductæ, vel etiam in vaſculo rectæ præbeantur omnibus numerandæ, ac legendæ, ne quis aliuam fraudem factam fuiſſe prætendere queat. Idem ſeruetur tiam antequam in vaſculo mittantur; Diſcreti verò ſic electi, ſi erint exempti ab onere hebdomadarum ad formam Conſtituonum Cap. 42. vel nequiuerint, vel recuſauerint ad Capitulũ ccedere, ſortes, modo, tempore, & forma prædictis iterentur, uæ etiam quacumque die ante diſceſſum Prælati ad Capitulum erabuntur, ſi poſt electionem Diſcretorum factam contingat ectum mori, vel in infirmitatem, aut aliud impedimentum indere, ob quod ad Capitulum accedere non poſſit. Huic Diſretorum electioni nemo Prælatus alieni Monaſterij interſit, quin otius tempore vt ſupra ad eligendos Diſcretos deputato nullus bbatum accedat ad aliena Monaſteria, ſed vnuſquiſque in ſuo Monaſterio contineat, qui ſecus fecerit, voce actiua in Capilo careat. Pro Abbatibus Sancti Domnini Credariæ, & Saniſſimæ Trinitatis de Spineto nullus eligatur Diſcretus, ſed Viſitatores

ſitatores ſecundi eorum loco ad Capitulum accedant, & vocem Diſcretalem habeant.

Quæ opporteat Diſcretos facere, & obſeruare. Cap. III.

ELecti in Diſcretos ad alia Monaſteria ſe minimè conferant, ſed in Monaſterio, in quo degunt, expectent diſceſſum ſui Abbatis, cum quo recta via accedant ad Capitulum, ſi ſecus fecerint, voce actiua in Capitulo careant; interim verò ſe informent de ſtatu Monaſterij, de quo interrogentur diligenter in Capitulo iuxta formularium in calce Conſtitutionum appoſitũ, & caſu quo non reperiantur diligenter informati, ſint inhabiles in futurum ad hoc vt poſſint eligi in Diſcretos: Præcipimus autem eis in virtute Sanctæ obedientiæ, ne præter id, quod nomine Monaſterij Diſcretis dari conſueuit quid omninò ab aliquo accipiant etiam ſpontè dare volenti, & ſimiliter præcipimus omnibus, & ſingulis Religioſis, ne quid eis dare audeant. Quod ſi delictum huiuſmodi quis commiſerit, & fuerit ſufficienter probatum, tunc tam dans, quàm accipiens priuationem omnium dignitatum, & officiorum incurrant, nec non inhabilitatem ad eadem, vel alia in perpetuum. Sciant Diſcreti ſe non admittendos eſſe in Capitulo, niſi deferant ſecum litteras teſtimoniales de eorum legitima electione fidem facientes, ſubſcriptas ſtatim ſequuta electione coram Abbate, vel eius Vicario ab omnibus, vel ſaltem à quatuor Sacerdotibus eorum, qui electioni interfuerint omni inuidia, & maleuolentia ceſſantibus, & hoc in maioribus Monaſterijs; Vbi verò minor numerus fuerit, ſubſcribant ij, quibus ſors non euenerit; Si qui verò prædictas litteras ſubſcribere recuſauerint, niſi aliqua iuſta de cauſa Patribus Capitularibus notificanda, & ab ipſis iudicanda ſint priuati omninò voce actiua, & paſſiua per ſexennium. Et niſi cauſa adducta probata fuerit ab ipſis Patribus Capitularibus, nihilominus admittantur.

Quis

Quis tenor litterarum teſtimonialium. Cap. IIII.

REuerendis Patribus ad Capitulum Congregationis noſtræ celebrandum Congregatis.

Mittimus ad vos Ven. N. Confratrem noſtrũ Diſcretum huius Monaſterij, & Socium Prælati noſtri per ſortem legitimè electum præſentibus nobis ſubſcriptis. Cui in omnibus ſtatũ Monaſterij noſtri concernentibus fidem adhibere dignemini. Valete. Ex Monaſterio noſtro N. die.

Quas ſcripturas opporteat Prælatos cum ad Capitulum accedunt, ſecum deferre, aut domi conſignatas relinquere. Cap. V.

PRælati omnes ad Capitulum acceſſuri deferent ſecum computa, & inuentaria confecta ad normam Conſtit. Cap. 31. Item Lombardi librum Magiſtralem eius anni, quo Capitulum celebratur; Deferant omnes Prælati Monaſteriorum Quindennia ſoluentium fidem de depoſito Quindennij ad normam Conſtit. Cap. 71. Deferant teſtimonium ab omnibus Monachis, & Conuerſis ſubſcriptum de Veſtiarijs perſolutis iuxta Conſtit. Cap. 96 Abbates verò Morimundi, S. Bartholomæi Ferrariæ, & Boniſolatij, deferant præterea teſtimonium, de quo in Conſtit. Cap. 106. Domi verò relinquant conſignatas Priori Monaſterij ſequentes ſcripturas Capſas quas vocant trium annorum à Capitulo præterito elapſorum, & duos libros Magiſtrales, quoniam tertium ſecum afferunt. Item liſtas, aut libros Diurnales, ſiue quos vocant Quinternettos ſubcellerariorum, in grangijs exiſtentium, & quorumcumque aliorum res, & ſubſtantiam Monaſterij quoquo modo adminiſtrantium, necnon & librum Magiſtralem anni

ſaltem

ſaltem vltimi triennij præcedentis. Inſuper cartam vltimæ Viſitationis, & Decreta Capitularia ſi quæ fuerint, localia pro ſuo Monaſterio. Atque harum omnium ſcripturarum ſic domi relictarum, & Priori, ſeu Vicario conſignatarum fidem ſibi fieri faciant à Priore, ſeu Vicario, qui eas ſucceſſuro Prælato conſignare teneantur; & ab eo fidem conſignationis recipere, alias in euentum non adimplementi careant eo ipſo voce actiua in ſequenti Capitulo, & ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrant, quin etiam priuationis dignitatis Abbatialis, Abbates qui præfatos libros Magiſtrales non conſignauerint.

Prælati quantum fructuum in Monaſterio relinquere debeant ad Capitulum acceſſuri. Cap. VI.

PRælatus, qui ex fructibus ſui Monaſterij partem aliquam vendiderit, & ſucceſſori non reliquerit tantum fructuum, quantum pro ſuſtentatione Monaſterij, ex his fructibus neceſſarium eſt vſque ad nouam fructuum collectionem, voce actiua in Capitulo careat, eamdemque pœnam ſubeat Prælatus, qui anticipatas ſolutiones, & ad ſuæ miniſtrationis tempus non pertinentes acceperit iuxta Conſtit. cap. 73.

De expenſis pro Diſcretis, & Capitulo faciendis. Cap. VII.

SVppeditent, atque ſubminiſtrent Diſcretis legitimè electis ſumptus, quos ad Capitulum eundo, vel inde redeundo fieri contigerit Prælati Monaſteriorum quorum ſunt Diſcreti. Monaſterio verò, in quo celebratur Capitulum pro expenſis ea occaſione faciendis ſoluant Abbates S. Ambroſij, Septimi, Claræuallis, Montisamiatæ, Columbæ, S. Martini, S. Bartholomæi Ferra-

riæ,Cerreti,& Morimundi, ſinguli ſeptem aureos cum dimidio, aliorum verò Monaſteriorum Abbates ſinguli quatuor cum dimidio, qui omnes, ſi antequam Capitulum ingrediantur, non ſoluerint,voce actiua careant, & nihilominus ſoluere compellantur,quas pecunias reſpectiuè Prælati etiamſi ſecum non habuerint Diſcretos, famulos,nec equos ſoluere teneantur.

Quæ forma in Capituli celebratione ſeruanda. Cap. VIII.

CONgregatis in Domino vniuerſis Patribus Capitularibus, ideſt in Capitulo vocem habentibus in Monaſterio, ſeu loco ad id electo, ac deputato omnem Congregationem repræſentantibus Sabbatho ante tertiam Dominicam à Reſurrectione Domini cęnantibus in menſa publicè, & clarè edicatur Conſtitutione cautum eſſe, ne durante Capitulo vllus litteras commendatitias,aut perſonas ſimiles litteras ferentes, aut commendationes oretenus facientes admittat: Imò ad effectum ne ab improuiſis aliquid huiuſmodi admittatur, cautum item eſſe, ne vllæ omninò litteræ perſonarum extra gremium Congregationis exiſtētium aperiantur,nec legantur,exceptis litteris Cardinalis Protectoris,ac Superiorũ Romanę Curiæ,ante omnes electiones factas, ante quas nullæ item perſonæ extra gremium Congregationis exiſtentes ad tractandum cum PP. Diffinitoribus admittantur. Ipſa die Dominica poſt decantatam horæ nonæ laudem conueniant omnes in vnum locum,vbi huiuſmodi negocia tractari conſueuerunt, ibique habita oratione de more ad Patres ſinguli Prę-lati accedant coram Patre Prędide, & tactis ſacris Euangelijs iurabunt per hæc verba. Ego frater N. iuro, & atteſtor meum Diſcretum fideliter iuxtà Conſtitutiones noſtras electum fuiſſe, ita me Deus adiuuet,& hæc Sancta Dei Euangelia. Deinde reddantur à ſingulis Diſcretis litteræ teſtimoniales, quæ publicè legantur.Mox exhibeantur à ſingulis Prælatis ſuppellectilis,rerumque mobi-

mobilium ſuorum reſpectiuè Monaſteriorum inuentaria in præcedenti Capitulo ipſis conſignata, ſimulq. & de nouo ab eiſdem confecta ad normam Conſtitutionis cap.31. ad cuius etiam Cõſtitutionis normam confecta exhibebunt computa extracta ex libris Magiſtralibus,& pro Prouincia Lombardiæ ipſoſmet libros Magiſtrales anni tunc deſinentis. Exhibeant denique teſtimonium à ſingulis Monachis, & Conuerſis ſubſcriptum de Veſtiarijs perſolutis. Quibus omnibus exhibitis eligantur ex numero Capitularium per ſchedulas bini Reuiſores Computorum pro vnaquaque Prouincia, cuius electionis ſcrutinium fiat à Patre Præſide, atque Reuiſoribus ſic electis conſignentur libri Magiſtrales,Computa,Inuentaria, & teſtimonia de Veſtiarijs perſolutis per Prælatos,vt præfertur exhibita ad effectum,vt omnia examinare maturè poſſint, præcipuè vero, vt ſequenti mane referre poſſint, an per Prælatos, & officiales ſint contracta debita in illo triennio.

Die verò ſequenti mane omnes quotquot in Capitulo vocem habent in Miſſis priuatis,aut certè in ſolemni ſi priuatim celebrare non poſſint(quæ pro impetranda ſancti Spiritus gratia,ſicut hac die in cæteris Monaſterijs conuentualiter; imò & ab vnoquoque Sacerdote priuatim pręterquam ab hebdomadariis Miſſarum de Beata Virgine,& Defunctorum, ita in Monaſterio,vbi celebratur Capitulum de more præſentibus omnibus Capitularibus celebranda eſt) Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant, quod qui facere neglexerint, niſi de legitimo impedimento Patrem Præſidem docuerint,ad electiones non admittantur. Miſſa ſolemni abſoluta ingreſſi omnes Capitulares locum Capituli rurſus Diuinum Numen inuocantes dicant Hymnum, Veni Creator Spiritus, cum collecta, Deus,qui corda fidelium, qua abſoluta, & Capitularibus in ſuis locis ſedentibus Reuiſores computorum publicè edicant, an per aliquem Prælatorum, aut Officialium ſint contracta debita in illo triennio; nam qui ea in ſuis reſpectiuè Monaſterijs contraxerint, priuari debent voce actiua,niſi fortè paruitas rei excuſet. Abbas autem, qui inpoſterum non

detu-

detulerit veram notam debitorum ſui Monaſterij cum primum in hac falſitate fuerit depræhenſus priuetur voce actiua in proximo ſequenti Capitulo, nec à Regimine poſsit ſuper hac Conſtitutione diſpenſari. His peractis Pater Præſidens abſoluat omnes in hunc, qui ſequitur modum.

Ego N. humilis Præſidens Congregationis Ciſtercienſis Italiæ authoritate Apoſtolica abſoluo omnes, & ſingulos Capitulares præſentis Capituli à vinculo cuiuſcumque excommunicationis quomodolibet per eos, & eorum quemlibet incurſæ, idque ad effectum validitatis electionum in Capitulo præſenti per eos faciendarum. & deinde dicet, Ego eidem Præſidens Congregationis Ciſtercienſis Italiæ auctoritate Apoſtolica abſoluo, ac abſolutos eſſe pronuncio omnes Abbates, Viſitatores, ac Regimen habentes Congregationis noſtræ tàm abſentes, quàm præſentes ab adminiſtratione Monaſteriorum, vel officiorum ſibi commiſſorum. Qui omnes aſſurgant, apertiſque capitibus ſe ſe humiliter inclinent abſolutionem huiuſcemodi approbantes. Mox eorum vnuſquiſque inter ſe ſe, & non infra Diſcretos ſuæ profeſſionis locum petat. Deindè Præſidens facit ſe abſolui ab excommunicatione, vt ſupra à Prælato antiquiore, & deinde ſubſequatur, & dicat Ego idem Præſidens authoritate Apoſtolica obſoluo, & abſolutum eſſe denuncio me ipſum ab admiſtratione Monaſterij mihi commiſſi, & ab officio Præſidentatus. Quofacto ipſe ſimiliter ſuæ profeſſionis locum accedat. Qui omnes ſic ab adminiſtrationibus abdicati, ac amoti vnà cum Diſcretis in electionibus Scrutatorum, ac Diffinitorum vocem actiuam, & paſſiuam habeant.

De Scrutatoribus. Cap. IX.

ELigantur per Patres Capitulares Prouinciarum reſpectiuè bini Scrutatores per ſchedulas, cuius electionis ſcrutinium fiat à duobus ſenioribus ſingularum Prouinciarum. Scrutatorum

munus erit ſchedulas ſingulorum Vocalium in capſulam iam à quocumque ex prædictis immiſſas, aperire, & ſuper ijs ſcrutiniū facere, ac Diffinitores per dictas ſchedulas electos pronunciare, præſtito prius coram omnibus iuramento de referenda veritate, & ſeruanda fidelitate. Qui ſi fortè fefellerint ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, à qua non poſſint abſolui, niſi à Patre Præſidente, vel ab eo, cui ipſe auctoritatem ſuam ſubdelegauerit in foro conſcientię, pręterquàm in mortis articulo. Et ſi fraus manifeſta erit, & probata, ſint etiam priuati in perpetuum voce actiua, & paſſiua, & inhabiles ad quæcumque officia exercenda, niſi ex diſpenſatione Apoſtolica, & de conſenſu Diffinitorum aliter fuerit decretum. Ipſique Scrutatores vtriuſque Prouinciæ inſimul ſchedulas ipſas, vt legitimè annotentur Diffinitores, videre debeant. Interim verò dum electionis ſcrutinium fit, legantur publicè duæ Bullæ Pauli V. contra ambientes in calce Conſtitutionum appoſitæ.

Quomodo Diffinitores eligantur. Cap. X.

ELigat ſibi vnaquæque Prouincia ſeptem Diffinitores, inter quos ex Patribus, qui immediatè in Regimine reſederunt, non poſſint pro ſingula Prouincia aſſumi, niſi ad ſummum duo, aſſumantur verò ad minus quinque Prælati, & vnus ſaltem ex Diſcretis, ſeptimus aſſumatur ſeu ex Prælatis, ſeu ex Diſcretis ſecundum arbitrium, & conſcientiam eligentium. Eligantur autem hoc ordine, videlicet. Dentur ſingulis vocalibus ſingulæ ſchedulæ ſigillo Præſidentatus obſignatæ, necnon à duobus ſenioribus maioribus ſubſcriptæ, vt recognoſcantur, in quibus ſchedulis nomina omnium Vocalium Prouinciarum reſpectiuè habeantur præter nomina eorum, qui illegitimi declarati fuerint, qui vocem tantum actiuam habent, & nomen eius, cui dabitur ſchedula, ex quibus nomina Prælatorum ſignata ſint in margine ſchedulæ ſigno Crucis, & nomina eorum, qui immediatè ante fuerunt

runt de Regimine ſignata ſint in fine paruo aſteriſco*. In quibus ſchedulis à quolibet Vocali relinquantur ſeptem tantum nomina eorum, quos quiſque malit pro Diffinitoribus, & ex ijs ſaltem quinque ex Cruce ſignatis, & vnum ad minus ex non ſignatis, nec plures quàm duo ex ſignatis aſteriſco. Quod ſi aliqua ex dictis ſchedulis à Scrutatoribus reperta fuerit non habens ſeptem nomina relicta pro Diffinitoribus, & non fuerint in ea quinque ad minus ſignata ſigno Crucis, & vnum ad minus ſine tali ſigno, aut plura fuerint, quàm duo ſignata aſteriſco, ſchedula illa pro nulla habeatur, & vt inualida reijciatur, prout inualida etiam erit ea, quæ nomen alicuius, qui illegitimus declaratus fuerit continebit. Atque eius ſchedulæ nullæ, author ſi venerit in lucem, ſciat ſe in illo Capitulo nec alteri præſtare, nec pro ſe ſuffragium obtinere poſſe. His ita geſtis ſinguli Vocales in loco ipſo Capituli iuxtà ſuos ordines ſedentes ſecretò ſchedulas, vt præfertur, aptent, & ordinent, caueantque ne inter eas aptandas, aut poſt eas aptatas cuiquam eas oſtendant, aut à quoquam videri permittant, ſed ſic aptatas reponat vnuſquiſque Vocalis iuxtà ordinem ſuum in Capſa in medio Capitulo poſita, & in alia Capſula ſimiliter in medio Capitulo poſita reponat vnuſquiſque cũctis, & præſertim ſcrutatoribus ad hunc effectum iuxtà Capſulam aſſiſtentibus, videntibus nomina eorum, quæ ex ſua ſchedula detraxit. Subinde Scrutatores accedant ad Capſam, in qua ſunt ſchedulæ, quibus Diffinitores eliguntur, accipiant, & ad aliquem locum ſeorſim accedentes aperiant. Scrutinium faciant, publicent, ac pronuncient Diffinitores electos coram omnibus, quod ſi numerus non fuerit completus, ita vt pauciores ſeptem pro qualibet Prouincia reperiantur, numerus huiuſmodi per ſuffragia fabarum ſuppleatur, ita vt ſi defectus numeri ſit in quinque Prælatis ballottentur omnes Prælati: ſi verò in vno Diſcreto, qui debet omninò inter Diffinitores connumerari, tunc ballottentur omnes Diſcreti, ſi denique in ſeptimo Diffinitore, qui poteſt eſſe vel Prælatus, vel Diſcretus, tunc ballottentur omnes tam Prælati, quam Diſcreti. Quod ſi qui pares ſuffragijs fue-

rint ex iis, qui maior profeſſione fuerit electus habeatur, & tunc ab ipſis Scrutatoribus etiam taliter electi facto ſcrutinio ſuper huiuſcemodi electione per ſuffragia fabarum pronuncientur. Electi verò Diffinitores, ac publicati accedant ad ſuperiores gradus ſeruantes eorum vnuſquiſque inter ſeſe ſuæ profeſſionis locum, & Scrutatores vtriuſque Capſæ ſchedulas allato igne in medio Capitulo cunctis videntibus comburant.

Quomodo Capituli Præſes eligatur. Cap. XI.

PAtres Diffinitores Prouinciarum eligant vnum ex ſe ipſis illius nimirum Prouinciæ, in qua non habentur tunc comitia Præſidentem Capituli per vota ſecreta in quem eligendum ſaltem decem ex ipſis concurrant. Qui quidem Præſes Capituli eligi poſſit, etiamſi per ſexennium ab officio Præſidentatus non vacauerit, ſed non ſit minor ætate annorum triginta quinque, & per decemnium Sacerdotis officio functus, & non minus ſexennio in Prælaturis honorificè exercitatus, vt ſi contingat illum poſtea in Præſidentem triennalem eligi, nulla alia in electione occurrat inquiſitio. Huius electionis Scrutatores erunt duo antiquiores Deffinitores ex qualibet Prouincia. Sic autem electus, ac pronunciatus ad ſupremum locum accedat, moxq. per breuem orationem habeat, qua Diffinitores ad munera ritè obeunda hortetur, & ſit ſeſſionis finis.

Quæ auctoritas Patris Præſidis, & Diffinitorum. Cap. XII.

PRæſidens, & Diffinitores eo tempore, quo Comitia habebuntur, teneant primũ locum in Congregatione, habeantq. omnimodam, ac plenariam poteſtatem, & iuriſdictionem cùm in ſpiri-

ſpiritualibus, tùm in temporalibus ſuper omnia, & ſingula Monaſteria, ſeu loca, ac ſuper omnes, & ſingulas perſonas Congregationis, ſuper quas ius habeant pręcipiendi, cogendi, admonendi, corrigendi, puniendi, in carceres trudendi, excommunicandi, ſententiandi, ligandi, atque ſoluendi, leges condendi, illaſque ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis obſeruari mandandi. Horum partes etiam præcipuè erunt Præſidentem, Prælatos, Viſitatores, Priores clauſtrales, Cellerarios, alioſue officiales eligere, Monachos, ac Conuerſos de loco ad locum tranſmutare, & demum ea omnia agere, quæ Reipublicæ nō inutilia fore duxerint. Nulli omninò liceat ab eorum ſententijs appellare, quinimò eorum decretis, ac determinationibus, quorum acta per Scribam deputatum in libro perpetuò ſeruando à prædicto Præſidente pro tempore exiſtente annotentur, omnes acquieſcere teneantur. Ipſorum tamen officio nec vltra decem dies minimè, nec minus octo duraturo, eorum autem Conſtitutiones, ordinationes, & declarationes durent vſque ad futurum Capitulum, nec vlterius, niſi per tria Capitula fuerint confirmatæ, neque obligent ſubditos tranſgreſſores ad culpam, niſi cum expreſſum fuerit, aut cum interuenerit contemptus, ſed tantummodo ad pœnam taxatam, vel taxandam.

Modus in Diffinitorio tenendus. Cap. XIII.

INgreſſi Præſes, & Diffinitores in locum, vbi Capitularia negotia pertractanda fuerint, quod Diffinitorium dicitur (habita primum ſub ſilentio breui oratione ad Deum Opt. Max., vt eos dirigat in ſemitam iuſtitiæ, quod etiam quotieſcumque congregantur, faciant) primum omnium Vicarium Clauſtralem, qui Domui præſit, & primum locum poſt Diffinitores habeat, conſtituant; Hic curam de omnibus gerat, ſed in primis eorum, quæ cultum Diuinum concernunt, curetq. ipſa die lunæ omnes Capitula-

tulares exceptis Diffinitoribus in vnum locum congregari, ſicq. congregatos moneat de obſeruantia Decretorum S.Inquiſitionis iuxtà Edictum in calce Conſtitutionum appoſitum. Deindè è Patribus ipſis Diffinitoribus illius Prouinciæ, in qua Capitulum celebratur, eligant Procuratorem cauſarum, ex alterius verò Prouinciæ Patribus, ex qua etiam erit Præſidens,Capituli, Scribam,ſeu Notarium. Illius partes erunt ſigillatim, ac ſummariè omnia in eo conſeſſu, ac Concilio pertractanda proponere, ac memorialia,& ſcripturas ipſi à quocunque datas perlegere. Iſtius verò quicquid ſuper propoſitis ſancitum, decretum, ordinatumuè fuerit, litteris mandare, ac ſcribere. Bis ſingulis diebus congregetur Diffinitorium duraturum ſingulis vicibus ſaltem per tres horas. Ante omnia vocentur P.Præſidens, & Viſitatores officijs functi expoſituri ſi quid in Viſitatione, aut aliàs depræhenderint, quod à PP. Diffinitoribus remedium expectet, mox Reuiſores Computorum Capſæ Congregationis audiantur,deinde ad examina ſingulorum Capitularium deueniatur, idque ſuper ſtatu ſingulorum Monaſteriorum, ſeu locorum Congregationis iuxtà formularium ad calcem Conſtitutionum appoſitum. Quod cum de his fieri contigerit, quæ directè, vel indirectè ad perſonam,vel Regimen, vel adminiſtrationem alicuius ex Diffinitoribus attineant recedat, & exeat is, in cuius cauſa agitur, ne ipſe ſui ipſius Iudex videatur, ſitq. libera facultas ei,qui interrogabitur ea omnia referre, quæ pro bono Congregationis referenda iudicauerit. Eumque quicumque is ſit, qui alicuius culpæ obnoxius eſſe cognoſcetur Præſidens cum conſilio Diffinitorum ſic corrigat, verborum obiurgatione, ac ſi opus fuerit pœnarum inflictione ſic corripiat, ac caſtiget, vt nulli ſpes veniæ peccandi aditum præbeat. Nulla ratio dignitatis, aut ſtatus, nulliuſque ſit perſonæ acceptio. Poſtremò omnia alia honorem Dei, animarumq. ſalutem, necnon Congregationis commodum, ac vtilitatem concernentia pro data ſibi à Deo gratia ita tractent, promoueant,ordinentuè,vt à Viris verè ſapientibus, ac prudentibus effecta eſſe videantur.

De

De electione Præſidentis triennalis.
Cap. XIV.

ANte omnes alias electiones per Patres Diffinitores faciendas primus eligatur Præſidens triennalis, qui cum non ſolum vt cæteri Prælatorum ſingulis Monaſterijs, ſed vt eorum omnium caput omnibus ſit præficiendus, ideò legitimo matrimonio natus ſit, doctrina præditus, & eius virtus, probitas, & ſplendor talis, ac tantus ſit, vt ex eo Prælatorum reliqui, & Monachi omnes Monaſticæ vitæ, ac Regularis diſciplinæ exemplum deſumere queant, ſit etiam ætatis,& qualitatis, quæ requiruntur in Præſidente Capituli, de quibus ſupra actum eſt, & præterea per ſexennium à Præſidentatus officio vacauerit. Eligatur verò per ſuffragia fabarum à prefatis quatuordecim Diffinitoribus,vel ſaltem à decem ex ipſis, & aliter facta electio nulla, & irrita ſit, Forma autem in eiuſdem electione iſta ſeruetur. Vocatis coram Scriba Capituli duobus Monachis teſtibus,& facto ſigno campanulæ pro vocandis Diffinitoribus, ijſque omnibus præſentibus, aut ſaltem ijs,qui volunt,& poſſunt electioni commodè intereſſe celebretur Miſſa Spiritus ſancti, in qua omnes Diffinitores communicent, niſi malint etiam ipſi Miſſas priuatim celebrare. Deinde accedentes ad locum Diffinitorij à Præſide Capituli curent ſe ab excommunicatione ad effectum electionum faciendarum abſolui, idemq. Præſes demandata alicui facultate ſe ipſum pariter abſolui faciat. Mox ex ſui ipſorũ numero binos pro qualibet Prouincia Scrutatores per ſuffragia fabarum eligant, qui ſic electi iuramentum præbeant de ſecreto, & fidelitate ſeruandis, præſtent pariter omnes Diffinitores ſimul cum ipſis Scrutatoribus iuramentum, quod in omnibus electionibus in hac ſeſſione faciendis eligent eos, quos ſecundum Deum iudicabunt eligi debere. Quibus peractis ſtatuatur in Menſa ſeparata,ſed quæ omnium oculis conſpicua ſit, vas, ad quod accedentes ſinguli Elec-

torum

torum ſecretò immittant fabam nigram ſi in eum, qui Præſes eſt Capituli, atque adeo primo loco electioni ſubijciendus conſenſerint, albam, ſi diſſenſerint. Verum is, qui electioni ſubijcitur, votum non ferat, nec fabam immittat. Poſt omnium fabas in vas immiſſas quatuor Scrutatores ad illud accedentes aperiant, & fabas dinumerent, quæ tot eſſe debebunt, quot Electores, neque plures, neque pauciores, quo in numero ſi exceſſum, aut defectum compererint, ſciant ſcrutinium illud eſſe nullum, atque adeò iniectis multis promiſcuè fabis confundendum, & ad aliud denuò procedendnm. Cum autem numerum fabarum numero Eligentium æquari repererint, tunc numerum votorum in ſcriptis redigant, & quidem ſi decem vota in Præſidem Capituli cōſentiſſe depræhenderint, non erit vlterius in ſcrutinio procedendum. Quod ſi minus decem in eum conſenſerint modo quo ſupra ad vota ferenda, & ſcrutinium faciendum pro primo Diffinitore eius Prouinciæ, in qua debet eſſe Præſes, procedatur, & ſic deinceps ſeruato profeſsionis ordine pro reliquis Diffinitoribus, & deinde pro omnibus Prælatis habilibus eiuſdem Prouinciæ, donec aliquis reperiatur, in quem ſaltem decem vota conſentiant, tunc enim ad vlterius Scrutinium non erit procedendum. Quod ſi contingat in nullum aliquem decem Diffinitores conſentire (quod Deus auertat, eſſet enim ingens diſcordiæ, & animorum, quæ ſua ſunt quærentium ſignum) iterandum erit Scrutinium denuò incipiendo à Præſide Capituli, & deinceps vt ſupra; nam decem ſaltem Diffinitorum vota, vt pręſcripſimus, requiruntur ad hoc vt electio ſit valida. Publicabunt ſubinde Scrutatores in communi Scrutinium, ita vt vnus ex eis profeſsione maior coram omnibus Diffinitoribus edicat in vaſe repertas fuiſſe treſdecim, aut quatuordecim fabas, quot nempe repertæ fuerint, & ex eis non minus quàm decem in Adm. Reu. Patrem N. conſentientes, qua publicatione facta idem Scrutator antiquior electionem faciat per hæc verba. Ego Frater N. Scrutator à vobis electus meo, & Adm. Reuerendarum Paternitatum Veſtrarum nomine eligo, & electum eſſe pronuncio in Præſidentem

trien-

triennalem noſtræ Congregationis Adm. Reu. Patrem Domnum N. qui mox coram PP. Diffinitoribus profeſſionem fidei emittat, curabitque ſi cautus, & prudens ſit totum ſuæ electionis proceſſum nulla re penitus omiſſa, quæ ad ſubſtantiam negotij ſpectare dici probabiliter poſſit per Scribam Capituli ſerie, ordineque conſcribi.

De electionibus Prælatorum, & Viſitatorum. Cap. XV.

POſt Præſidis triennalis electionem vocetur Prælatus proximè officio Præſidis triennalis functus, & interrogetur quodnam Monaſterium ſibi iuxta facultatem, de qua in Conſtitutionibus cap.20. eligat, & accepta ab eo reſponſione legatur Conſt. cap.21. & duo capita Regulæ in eo citata, deinde Patres Diffinitores ad electiones Prælatorum Monaſteriorum, & Titularium Credariæ, Spineti, & Stalis procedant forma qua ſupra in electione Præſidentis, hoc tamen excepto, quod loco fabarum ſchedulis vtentur, & per duas partes ex tribus omnium Diffinitorum illius Prouinciæ, cuius Prælatus erit eligendus eligentur. In Prælatorum autem numerum nullus poterit cooptari, qui non ſit ex legitimo matrimonio natus, & procreatus, & præter ſufficientem ſcientiam ad exercendam curam animarum, quam ad hunc effectum habere intelligantur ij ſoli, qui per Examinatores deputatos in Capitulo Congregationis examinati, & approbati fuerint, officia inſuper minora, nempe Cellerariatus, & Prioratus dignè gradatim ſaltem per biennium in quolibet officio fideliter non exercuerint, tempus etiam quo quilibet Sacerdos officium Procuratoris in curia Romana, vel Viſitatoris minoris, vel Magiſtri Nouitiorum exercuerit, computetur perinde ac ſi idem Sacerdos per totidem tempus Cellerariatus, vel Prioratus officium exercuiſſet. Inſuper verò Monachis curam animarum per electionem Patrum Diffinitorum, ſeu Regiminis, aut Viſitatio-

torum ſecretò immittant fabam nigram ſi in eum, qui Præſes eſt Capituli, atque adeo primo loco electioni ſubijciendus conſenſerint, albam, ſi diſſenſerint. Verum is, qui electioni ſubijcitur, votum non ferat, nec fabam immittat. Poſt omnium fabas in vas immiſſas quatuor Scrutatores ad illud accedentes aperiant, & fabas dinumerent, quæ tot eſſe debebunt, quot Electores, neque plures, neque pauciores, quo in numero ſi exceſſum, aut defectum compererint, ſciant ſcrutinium illud eſſe nullum, atque adeò iniectis multis promiſcuè fabis confundendum, & ad aliud denuò procedendnm. Cum autem numerum fabarum numero Eligentium æquari repererint, tunc numerum votorum in ſcriptis redigant, & quidem ſi decem vota in Præſidem Capituli cōſentiſſe depræhenderint, non erit vlterius in ſcrutinio procedendum. Quod ſi minus decem in eum conſenſerint modo quo ſupra ad vota ferenda, & ſcrutinium faciendum pro primo Diffinitore eius Prouinciæ, in qua debet eſſe Præſes, procedatur, & ſic deinceps ſeruato profeſsionis ordine pro reliquis Diffinitoribus, & deinde pro omnibus Prælatis habilibus eiuſdem Prouinciæ, donec aliquis reperiatur, in quem ſaltem decem vota conſentiant, tunc enim ad vlterius Scrutinium non erit procedendum. Quod ſi contingat in nullum aliquem decem Diffinitores conſentire (quod Deus auertat, eſſet enim ingens diſcordiæ, & animorum, quæ ſua ſunt quærentium ſignum) iterandum erit Scrutinium denuò incipiendo à Præſide Capituli, & deinceps vt ſupra; nam decem ſaltem Diffinitorum vota, vt pręſcripſimus, requiruntur ad hoc vt electio ſit valida. Publicabunt ſubinde Scrutatores in communi Scrutinium, ita vt vnus ex eis profeſsione maior coram omnibus Diffinitoribus edicat in vaſe repertas fuiſſe treſdecim, aut quatuordecim fabas, quot nempe repertæ fuerint, & ex eis non minus quàm decem in Adm. Reu. Patrem N. conſentientes, qua publicatione facta idem Scrutator antiquior electionem faciat per hæc verba. Ego Frater N. Scrutator à vobis electus meo, & Adm. Reuerendarum Paternitatum Veſtrarum nomine eligo, & electum eſſe pronuncio in Præſidentem

trien-

triennalem noſtræ Congregationis Adm. Reu. Patrem Domnum N. qui mox coram PP. Diffinitoribus profeſſionem fidei emittat, curabitque ſi cautus, & prudens ſit totum ſuæ electionis proceſſum nulla re penitus omiſſa, quæ ad ſubſtantiam negotij ſpectare dici probabiliter poſſit per Scribam Capituli ſerie, ordineque conſcribi.

De electionibus Prælatorum, & Viſitatorum. Cap. XV.

POſt Præſidis triennalis electionem vocetur Prælatus proximè officio Præſidis triennalis functus, & interrogetur quodnam Monaſterium ſibi iuxta facultatem, de qua in Conſtitutionibus cap. 20. eligat, & accepta ab eo reſponſione legatur Conſt. cap. 21. & duo capita Regulæ in eo citata, deinde Patres Diffinitores ad electiones Prælatorum Monaſteriorum, & Titularium Credariæ, Spineti, & Stalis procedant forma qua ſupra in electione Præſidentis, hoc tamen excepto, quod loco fabarum ſchedulis vtentur, & per duas partes ex tribus omnium Diffinitorum illius Prouinciæ, cuius Prælatus erit eligendus eligentur. In Prælatorum autem numerum nullus poterit cooptari, qui non ſit ex legitimo matrimonio natus, & procreatus, & præter ſufficientem ſcientiam ad exercendam curam animarum, quam ad hunc effectum habere intelligantur ij ſoli, qui per Examinatores deputatos in Capitulo Congregationis examinati, & approbati fuerint, officia inſuper minora, nempe Cellerariatus, & Prioratus dignè gradatim ſaltem per biennium in quolibet officio fideliter non exercuerint, tempus etiam quo quilibet Sacerdos officium Procuratoris in curia Romana, vel Viſitatoris minoris, vel Magiſtri Nouitiorum exercuerit, computetur perinde ac ſi idem Sacerdos per totidem tempus Cellerariatus, vel Prioratus officium exercuiſſet. Inſuper verò Monachis curam animarum per electionem Patrum Diffinitorum, ſeu Regiminis, aut Viſitatio-

tationis, exercentibus, tempus talis exercitij ſuffragetur ad effectum habilitatis ad Prælaturam non ſecus ac tempus exercitij officiorum Prioris, & Cellerarij, ita tamen vt ſi quis duobus annis aliquod prædictorum officiorum, & ſimul curam præfatam exercuerit non proinde ſit habilis, ſed requirantur ad habilitatem præfatam conſequendam quatuor anni, in quibus prædicta officia, aut cura præfata exerceantur. Denique omnes qui trigeſimum ætatis annum attigerint, & Logicæ, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiorum curſum peregerint, publicaſque concluſiones tribus diebus etiam diſcontinuis laudabiliter defenderint, & à Regimine approbati fuerint, etiamſi illi minora officia non exercuerint, nihilominus Abbatialis dignitatis capaces ſint.

Si autem alicui Monaſterio per præfatam electionem per ſchedulas prouiſum non fuerit de Prælato prouideatur per ſuffragia fabarum ſeruatis de reliquo ijs, de quibus in electione per ſchedulas ſupra dictum eſt.

Illud autem omninò præ oculis habeant PP. Diffinitores, vt Monaſterijs maioris obſeruantiæ tales Abbates præficiant, qui in frequentando ſuſpu, diuque Chorum vita communi in Refectorio agenda, cæteriſque obſeruantijs omnibus obeundis ſubditis exemplo eſſe poſſint.

Poſt hæc eligant per ſchedulas modo quo ſupra pro qualibet Prouincia ſingulos Viſitatores ex numero Prælatorum, eligant pariter per ſchedulas modo quo ſupra ex numero Monachorum pro ſingula Prouincia ſingulos Viſitatores ſecundos, ad quod officium aſſumi non poſſit qui decem annos à profeſſione; & trigeſimum ætatis annum non attigerit; aliàs electio nulla ſit ipſo iure. Eligant per ſchedulas modo quo ſupra Patres Regiminis, qui per Conſtitutiones non ſunt determinati. Denique eligant Præſidentem triennalem pro caſu, quo extra Capitulum vacare contingat iuxta Conſtitutionem cap. 22. His peractis terminetur iſta ſeſſio.

De

De alijs electionibus in Diffinitorio faciendis. Cap. XVI.

ELigent Patres Diffinitores per ſuffragia fabarum pro ſingulis Monaſterijs ex numero Sacerdotum Vocalium totius Congregationis Priorem, vnum Clauſtralem, & Cellerarium, & Eleemoſynarium præcipuè pro Monaſterio Sancti Ambroſij, in quo præceptum eſt ab Alexandro VI. Pontifice Eleemoſynarium vnũ exiſtere per Patres Diffinitores electum. Eligent pariter Magiſtros Nouitiorum pro Monaſterijs Nouitiatus, de quorum requiſitis videndæ ſunt Conſtitutiones Clementis VIII. ad calcem præſentium appoſitæ, & capite 49. repetitæ. Nullus autem poſſit eligi ad exercenda præfata officia, ſicut neque ad exercendam curam animarum, quæ habilitat ad Prælaturam, qui præter alias conditiones, & requiſita non habuerit decem annos completos profeſſionis, aliàs electio ſit nulla, & Electores facultate eligendi deinceps careant. Officia autem Viſitatoratus, Prioratus, Magiſtri Nouitiorum, & Cellerariatus non vacent ſingulis annis, ſed ſint triennalia.

Eligant deinde per ſuffragia fabarum, ſi opus fuerit, Lectores Collegiorum, de quorum requiſitis videndæ ſunt Conſtitutiones cap. 90. deputentque Examinatores pro mittendis ad Collegium.

Deputent pariter Examinatores tres, qui ſuper ſufficienti ſcientia pro exercenda cura animarum examinent, & approbent promouendos ad Prælaturas.

Deputent ſex Patres graues iuxta Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI Papæ VIII. de Apoſtatis, & Eiectis pro eijciendis incorrigibilibus ex Congregatione, qui poterunt eſſe ipſimet Patres Regiminis, ſi PP. Diffinitoribus viſum fuerit, vno alio graui Patre addito, vt ſint ſex, vltra Patrem Præſidem ad normam præfatæ Conſtitutionis Vrbanæ.

Deputent duos Prælatos, qui non ſint de Regimine prò Prouincia Tuſciæ, qui in fine triennij reuideant computa capſæ triclauis eius Prouinciæ iuxta Conſtit.cap.72.

Ad Religionem ſi qui ſe obtulerint ſiue in Clericos, ſiue in Conuerſos, ſiue in Commiſſos acceptentur, ſi videbitur, & numerum eo triennio acceptandorum præſcribant. Singulis Monachis, ac Conuerſis Prouinciarum reſpectiuè aſſignentur Monaſteria, ſeu loca, in quibus reſidere debent, prout melius PP. Diffinitoribus expedire videbitur.

Denique Monaſterium, ſeu locum aſſignent pro futuro poſt triennium Capitulo celebrando, qui locus ſi fortè aliqua rationabili cauſa mutandus fuerit, id fiet vtriuſque Prouinciæ Regiminibus conſentientibus, & per menſem ante ipſius Capituli celebrationem.

De Capituli reſolutione. Cap. XVII.

POſtquam rebus, negotijſuè Capitularibus finis fuerit impoſitus omnibus in Capitulum congregatis Scriba referat, atq, altiori voce legat quæcumque per Diffinitores decreta, ſancita, & ordinata fuerint. Hic cum munus ſuum peregerit, tum demum ad commemorationes, & abſolutiones iuxta veterem conſuetudinem accedatur, modus autem hic erit, Primùm cauſarū, Promotor ante Præſidem ſtans dicat, Abſoluatis animas patrum, fratrum, ſororum Ordinis noſtri hoc triennio defunctorum, ſubſequatur Præſidens, & dicat; Animæ patrum, fratrum, ac ſororum Ordinis noſtri hoc triennio defunctorum requieſcant in pace, cui omnes reſpondeant. Amen. Item Promotor dicat, Abſoluatis animas familiarium, ac benefactorum Ordinis noſtri hoc triennio defunctorum; Præſes dicat, Requieſcant in pace, cui omnes reſpondeant, Amen; Tum Præſes iuxta litteras Gregorij XIII. & XIV. & aliorum Romanorum Pontificum ſtantibus omnibus incipiat altiori voce Pſalmum Deprofundis, cui finito,

acce-

accedant Kyrie eleiſon, Pater noſter, & Collectæ Deus veniæ largitor, & fidelium. Poſtea Promotor ſtans vt ſupra dicat, Abſoluatis nos omnes pręſentes ab omni vinculo excommunicationis, & diſpenſetis nobiſcum ſuper irregularitate, necnon detis nobis pleniſſimam Indulgentiam omniũ peccatorum noſtrorum. Tum omnes dicant Confiteor, eo dicto, Præſes dicat Miſereatur veſtri &c. Mox ſubiungat, Auctoritate Dei Omnipotentis, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, qua in hac parte fungor, & auctoritate etiam Ordini noſtro à Summis Pontificibus conceſſa, abſoluo vos omnes pręſentes ab omni vinculo excommunicationis, & diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, doque vobis pleniſſimam omniũ peccatorum veſtrorum Indulgentiam iuxta formam litterarum Summorum Pontificum Ordini noſtro conceſſarum, Dicatis Pſalmum N. His ita geſtis procedant omnes eo gradu, ac ordine, quem vnicuique dignitas tribuit in Eccleſiam cantantes, Te Deum laudamus, Præſidente tamen incipiente. Cumque in Eccleſiam ventum fuerit omnibus reliquis in Choro ordinatè ſtantibus aſcendat Pręſidens triennalis cum duobus maioribus Prælatis Prouinciarum hinc inde eum comitantibus ad gradum Altaris maioris, vbi Deo Opt. Max. gratias agens dicat Orationem, Actiones noſtras &c. qua perfecta omnes Prælati ad eum propius ſigillatim accedentes ea qua decet humilitate reuerentiam, ac ſubiectionem polliceantur, ac promittant.

Quomodo conſtituatur cuiuslibet Prouinciæ Regimen, quæue ſit eius auctoritas. Cap. XVIII.

QVoniam Diffinitorum officium intra ſpatium decem dierum emoritur, ne in emergentibus, id eſt ijs, quæ cum in præcedenti capitulo à Diffinitoribus præuideri non potuerint ſine euidenti damno, aut ſcandalo, futurorum Patrum Diffinitorum prouiſionem expectare non poſſunt, nec Patris Præſidentis

ſolius

ſolius auctoritate terminare poſſe Conſtitutionibus cautum eſt, Congregatio aliquid patiatur detrimenti; conſtituantur duo Regimina, quorum vnum Lombardiæ, alterum verò Tuſciæ Prouincijs præſit, & quorum quodlibet ſex Patribus conſtet in hūc videlicet modum. Vt quando Præſidens, qui eligetur, erit ex Prouincia Lombardiæ, tunc Regimen ipſius Prouiciæ Lombardiæ conſiſtat ex dicto Præſidente Lombardiæ, duobus Viſitatoribus Lombardis, necnon & tribus Abbatibus etiam Lombardis à Capitulo nominandis, inter quos ſemper Abbas Claræuallis Mediolani connumeretur, Regimen verò Tuſciæ eodem triennio ſit penes Abbatem Septimi dicti Ordinis Florentinæ Dioeceſis, qui ſit caput, ac duos Viſitatores Tuſcos, necnon tres Abbates Tuſcos pariter à Capitulo conſtituendos. Cum verò contigerit Pręſidentem eligi vnum ex Prouincia Tuſciæ, tunc Regimen illius Prouinciæ ſit penes ipſum Pręſidentem, ac duos Viſitatores, necnon & tres alios Abbates Tuſcos à Capitulo etiam conſtituendos, inter quos Abbas Septimi ſemper cooptetur. Regimen verò Prouinciæ Lombardiæ eodem tempore habeant Abbas Claræuallis Mediolani, qui ſit caput, ac duo Viſitatores Lombardiæ, necnon & tres alij Abbates pariter Lombardi à Capitulo, vt præfertur ex numero omnium Abbatum vocalium eligendi, in quorum omnium electione forma in eligendis dictæ Congregationis Pręlatis obſeruari ſolita omnino obſeruetur, qui quidem Patres ſic electi, ac conſtituti teneantur reſidere in partibus Florentiæ, & Mediolani rę ſpectiuè, id eſt Monaſterijs non diſtantibus à præfatis locis vltra vnam dietam, & habeant per totū triennium ſuper eorum Prouincias eamdem auctoritatem in emergentibus cum in ſpiritualibus tùm in temporalibus, tàm in capitibus, quàm in membris, quam habent Diffinitores tempore Capituli, eamdemque habeāt in Regimine durationem, & vacationem, quam habent Abbates in gubernio ſuorum Monaſteriorum, niſi fortè aſſumendus ſit aliquis ex dictis Patribus in Præſidem poterit enim liberè aſſumi etiamſi per ſexennium immediatè præteritum fuerit in Regimine. Nullus in hoc Regimine

duo

duo ſuffragia ferat, ſed ſex vocum, ac perſonarum numerus ſit. Horum acta omnia à Viſitatoribus minoribus reſpectiuè litteris fideliter mandentur, ac in Codices digerantur, qui poſtea ad Capitulum per dictos Viſitatores minores deferantur, vt reuideri poſſint.

Regimen autem non poteſt abſquè Præſidis iuſſu congregari in ea Prouincia, de qua eſt Præſes, immò neque in alia, cum ibi fuerit Præſes præſens; In ea autem Prouincia, de qua non eſt Præſes, quando Præſes non fuerit in ea præſens non poteſt congregari abſque iuſſu Capitis Regiminis, quod ſi aliter congregatum fuerit nullum, & irritum ſit. Caput autem Regiminis nolens congregare poterit per Patrem Præſidentem cogi ad cõgregandum. Porrò defuncto Præſide Regimen eius Prouinciæ non poterit congregari, donec noui Præſidis electio fiat iuxta Conſtitutionem cap. 22. pro qua facienda Abbas Viſitator Prouinciæ ipſius Præſidis monebit ſcrutatores, & indicet diem electionis faciendæ. Defuncto Capite Regiminis in Prouincia, in qua non eſt Præſes, ſpectat ad Abbatem Viſitatorem monere Patres Regiminis pro nouo Capite eligendo, & diem indicere.

Quomodo tractentur negotia intra triennium ad totam Congregationem pertinentia. Cap. XIX.

SI intra triennium aliquid, quod vtramque Prouinciam complectatur agendum occurrat, veluti fortè litterarum Apoſtolicarum ad vtramque Prouinciam pertinentium expeditio, aut aliquid aliud commune, id per tunc Præſidentem, ac Viſitatores tranſigatur, accedente tamen etiam conſenſu Abbatum Septimi, & Claræuallis Mediolani, quo in congreſſu quoties aliquid pro bono Cõgregationis erit tractandum, id tantum canonicè determinatum cenſeatur, in quod duæ partes ex tribus conuenerint.

Quæ

Quæ ſit auctoritas Patris Præſidentis? Cap. XX.

PRæſidens Congregationis ſit Abbas alicuius Monaſterij ſuæ Prouinciæ non diſtantis pro Prouincia Tuſciæ ab Vrbe Florentiæ vltra dietam, & pro Prouincia Lombardiæ Monaſterij nō diſtantis ab Vrbe Mediolani vltra ſimilem dietam. Habet auctoritatem tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus in omnibus Monaſterijs, locis, & negotijs dictæ Congregationis, ac tàm in capitibus, quàm in membris, ideſt tàm in Prælatis, quàm in reliquis Religioſis omnem iuriſdictionem exercendam ſi velit ſine conſilio, aut cōſenſu Patrum Regiminis, præterquam in caſibus, in quibus per Conſtitutiones cautum eſt, vt vtatur conſilio, aut conſenſu prædictorū Patrum. Supra ipſum autem Patrem Præſidentem nulla eſt in Congregatione extra Capitulum auctoritas; ſed ipſo in officio ſuo, aut aliàs delinquente expectandum erit iudicium Diffinitorij. Poteſt omnes Prælatos durante triennio, cū ei videbitur, pro emergentibus cauſis conuocare, & omnia vtilia vniuerſæ Congregationi de conſenſu maioris partis aſſiſtentibus etiam Viſitatoribus decernere debeat, ac in Regimine vtriuſque Prouinciæ quoties, & vbicumque ipſe interfuerit licet ex ea Prouincia non ſit, aſſiſtat tamen, & vocem habeat, & tanquam Caput vniuerſæ Congregationis, Monachos, & Cpnuerſos de loco ad locum mutare, & ex Prouincia in Prouinciam legitimis interuenientibus cauſis auctoritate etiam propria mittere poſſit, illoſque ſic mutatos, & mutandos Superiores locorum perinde recipere, ac ſi à Diffinitoribus id factum foret, teneantur, ipſi ſoli Præſidenti ad Romanam Curiam etiam non habita à Regimine licentia, ſed tantum notificato ſuo receſſu accedendi ſit auctoritas. Omnium perſonarum Regularium Congregationis confeſſiones audire, eaſque à caſibus etiam per Prælatos earum reſeruatis abſoluere, necnon & cum eis ſuper irregularitate auctoritate

ritate Apoſtolica diſpenſare poſſit. Ad ipſum etiam ſpectet vbicumque fuerit benedictiones impartiri, Regimen cogere, ac cōgregare, & cum Collegarum conſilio, & aſſenſu decernere ea, in quibus per Conſtitutiones cautum eſt, vt vtatur conſilio, & conſenſu Patrum Regiminis, & ſi velit, etiam alia quæcumq. quæ in Congregationis bonum, & vtilitatem cedere iudicauerit. Liceat Præſidi poſt finitum officium eligere ſibi quod maluerit ex Monaſterijs ſuæ Prouinciæ gubernandum, exceptis pro Prouincia Lombardię Monaſterijs Sancti Ambroſij maioris Mediolani, Claræuallis Mediolani, Sancti Martini Parmenſis, & Sanctæ Crucis in Hieruſalem de Vrbe, & pro Prouincia Tuſcæ Monaſterijs Septimi Ciſtelli Florentini, & Trium Fontium de Vrbe, ad quorum Monaſteriorum gubernationem ſicut, & in Procuratorem ſuæ Prouinciæ in Curia Romana is, qui Præſidentis munere proximè functus eſt nullo pacto eligi queat. Poterit eligi ad officium Viſitatoratus, non tamen illum ipſe ſibi eligere.

Quales eſſe opporteat Prælatos noſtrorum Monaſteriorum. Cap. XXI.

PRælati, qui Monaſterijs noſtræ Congregationis præeſſe debent, iuxta Regulam Diui Patris noſtri Benedicti, & primorum quatuor Ordinis noſtri Abbatum inſtitutionem Abbates vocentur habituri in eorum reſpectiuè Monaſterijs eamdem auctoritatem, quam ſecundum Ordinis noſtri Conſtitutiones, & Summorum Pontificum decreta habent quatuor ſupradicti Abbates in ſuis reſpectiuè; omnibuſque facultatibus, priuilegijs, indultis, & præeminentijs à Sede Apoſtolica, vel Ordine noſtro conceſſis cæteris Ordinis noſtri Abbatibus quibuſcumq; & præcipue quatuor præfatis fruantur, & potiantur. Ea ad minus ſciētia polleant, quæ ſufficiens ſit ad curam animarum exercendam, ea corporis valetudine, & erga obſeruantiam regularem affectu, vt in frequentando noctù, diùque Chorum, vita communi in

Refectorio agenda, cæteriſque obſeruantijs omnibus, quæ per Regulam, & Conſtitutiones præſcribuntur exactè obeundis ſubditis exemplo ſint, & qui eiuſmodi non fuerint, non poterunt à ſtatu Monachorum priuatorum ad Abbatialem dignitatem tuta conſcientia aſſumi, qui verò iam aſſumpti in infirmitatem, aut imbecillitates deciderint, ita vt prædicta adimplere non poſſint, eligi non poterunt tuta conſcientia ad ea Monaſteria, in quibus maior eſt numerus Monachorum, & Regularis obſeruantia exactius cuſtoditur. Cætera, quantum fieri poteſt ad normam cap. 2. & 64. Regulæ D. P. N. Benedicti, habeant, quæ duo capita ſimul cum præſenti Conſtitutione ante electiones Abbatum ſiue in Capitulo, ſiue extrà Capitulum legi opportet.

Præſidenti, Prælatiſuè decedentibus, vel amotis quomodo ſuccedatur. Cap. XXII.

PRo officio Præſidis extrà Capitulum vacante, Patres Diffinitores poſt electionem Præſidis triennalis, modo quo ſupra factam, alios binos per ſchedulas ſigillatas eligant, quorum qui primo electus fuerit primo loco ſuccedat in euentum quo Præſidis officium intra triennium vacet, qui verò ſecundo loco electus fuerit, ſuccedat caſu quo primo loco ſuffectus ante primam vacantiam, vel poſt defeciſſet, aut inhabilis ad huiuſmodi dignitatem effectus eſſet; Is autem tam in prima, quàm in ſecunda hac per ſchedulas electione electus pronuncietur, in quem plura vota conſenſerint. non requiſito nec maioris partis nec certi cuiuſpiam numeri conſenſu. Pro ſeruandis autem ſchedulis electionis huiuſmodi binæ capſulæ fabricentur, quarum ſingulæ tribus ſeris obſignatæ ſint, in quarum vna, quæ prima eſſe ſignetur ſchedulæ primæ electionis, in ſecunda ſecundæ claudantur, atque capſulæ iſtæ penes Abbatem S. Martini, quando Prſæs eſt in Prouincia Tuſciæ, quando verò Præſes eſt in Prouincia Lombardiæ penes Abbatem Morimundi aſſeruentur. Claues itidem pe-

nes

nes tres Abbates conſeruentur, videlicet, in Prouincia Lombardiæ, cum in ea Præſes fuerit claues huiuſmodi ſint, altera penes Abbatem Papiæ, altera penes Abbatem Aquæfrigidæ, tertia penes Abbatem Nonantulæ, qui etiam omnes cum vacare Præſidis officium contigerit ſint ipſius electionis Scrutatores. Pro Prouincia verò Tuſciæ, cum in ea Præſes fuerit, claues ſint altera penes Abbatem Fauentiæ, altera penes Abbatem S. Bartholomæi Ferrariæ, tertia penes Abbatem Columbæ. Atque iſti pariformiter in euentu vacationis ſint huiuſmodi electionis Scrutatores. Porrò ſcrutinij in hunc euentum publicatio, & electio fiant coram omnibus Religioſis eius Monaſterij, in quo capſula aſſeruatur, & pro Notario, ſiue Scriba eius proceſſus inſeruiat Prior eiuſdem Monaſterij. Præſes autem ſic electus ſit eo ipſo Abbas eius Monaſterij, cui Præſes defunctus præerat, niſi præſit iam Monaſterio alteri exiſtenti in partibus à Conſtitutionibus pro reſidentia Preſidis præſcriptis, quo caſu ſi voluerit, poterit in eo permanere. Si verò aliquem Abbatum extrà Capitulum decedere, ſeu à Viſitatoribus, vel à Regimine, aut aliter à Prælatura amoueri contigerit in locum demortui, vel amoti alius habens conditiones, de quibus ſupra cap. 15. à Regimine iuxtà formam ibidem præſcriptam ſufficiatur, ità vt duæ partes ex tribus in electionem conſentiant, aliterque facta irrita ſit, & nulla, nec à Capitulo recipiatur electio, nec non talem Prælaturam acceptans ſciens in electione ſua non fuiſſe ſeruatam formam electionis ſupra traditam ipſo Iure vtraque voce per decemnium priuatus cenſeatur ſua electione huiuſmodi propterea nulla, & inualida remanente.

Quandiù in eodem Monaſterio ſit Prælatura gerenda. Cap. XXIII.

PErſœpe euenit, vt per frequentes Abbatum mutationes Monaſteria Congregationis multa diſpendia patiantur, è contrario autem ab ijs, qui benè præſunt vtilitatis multum nanciſci

D 2 conſue-

conſueuerint. Propterea decretum, ac ordinatum fuit, vt Prælatus,cuius adminiſtratio per triennium laudabilis reperta fuerit, ac vtilis ſuo Monaſterio per aliud triennium in eodem Monaſterio confirmari poſſit, ità tamen vt finito ſexennio vacet à Prælatura eiuſdem Monaſterij per triennium, & poſteà eidem Monaſterio præfici valeat, idemque ſeruetur in Abbatibus Credariæ, Spineti, & Stalis reſpectu ſuorum titulorum. Prælati, qui per triennium Monaſterio S.Galgani ſemel præfuerint, aut iam præfuerunt, non poſſint contra eorum voluntatem iterum eidem Monaſterio præfici; Præſidens vltra triennium minimè confirmari poteſt, Imò finito triennio per ſexennium Præſidentatu vacet, quod locum habeat in Præſidente à Capitulo electo, non autem in eo, qui ſubrogatus fuerit in locum demortui intra triennium; is enim poſt triennij vacationem poterit ad dictum Præſidentatum reaſſumi,ac eligi. Idem etiam ſit de Prælatis,ità vt nullus incipiat, niſi à die confirmationis à Patribus Capituli.

De Viſitationibus faciendis. Cap. XXIV.

PAter Præſes cum Viſitatoribus maioribus Prouinciarum reſpectiuè à Capitulo electis, & Viſitatore minore ſuæ Prouinciæ, qui etiam ſit Scriba, & votum in ipſa viſitatione habeat ſeſe paterna charitate ad viſitandum Monaſteria, & perſonas quaſcumque noſtræ Congregationis cum eadem, quam habent Abbas Ciſtercij, & alij quatuor Patres Abbates Ordinis auctoritate conferant ſingulis triennijs, vno quidem anno ad Monaſteria omnia, quæ ſunt ab Alpibus vſque ad Scultennam, altero verò ad ea, quæ ſunt vltra Scultennam, inter quæ comprænhendatur etiam Monaſterium S.Thomæ Torcellarum, ità vt prima viſitatio ſit eius partis,in qua fuerit Præſes, eaque fiat menſibus Aprilis,Maij,& Iunij ſingulorum annorum ex duobus, in quibus non celebratur Capitulum. Debeant autem omninò Præſes, & Viſitatores ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabili-

tatis

tatis ad officia Præſidentatus,& Viſitatoratus, omnia, & ſingula Monaſteria perſonaliter per ſe ipſos viſitare,& in vnoquoque per tantum tempus permanere,quantum neceſſarium erit ad plenè,& accuratè perficiendam viſitationem, inter quam pro examinibus vtentur Formulario in calce Conſtitutionum appoſito addentes, vel dementes prout opportunum fuerit. Omninò autem ante alia omnia exhibere ſibi faciant in vnoquoque Monaſterio cartam vltimæ eius Viſitationis,& Decreta Capitularia ſi quæ fuerint pro eo particulariter facta, & ſuper eorum omnium obſeruatione ſingulos interrogent. Vtentur autem communi menſa, & frugali victu ſint contenti. Poſtquam ea omnia præſtiterint,quæ pro rite obeundo ſuo munere facienda iudicauerint Viſitationem abſoluturi cartam in vnoquoque Monaſterio decretorum, quæ fecerint à ſe ipſis omnibus ſubſcriptam, & ſigillo Præſidis obſignatam conſignabunt Prælato, qui ad Capitulum acceſſurus in manu Prioris eam ſicut & Decreta Capitularia illius Monaſterij localia relinquet, quæ Prior ſucceſſuro Prælato, ſiue Priori conſignare tenebitur recepta ab eis fide eiuſmodi conſignationis, qui id præſtare neglexerit, acriter puniatur. Præcipitur verò in virtute ſanctæ obedientiæ, vt tam ipſe Præſes,& Viſitatores, quàm eorum Conuerſi,& famuli nihil omninò percipiant à Viſitatis etiam ſpontè dare volentibus,quod ſi Præſidem, ſeu Viſitatores quicquam accepiſſe aut à Conuerſis, aut famulis ipſis ſcientibus acceptum fuiſſe probatum fuerit, inhabiles ſint in perpetuum ad Præſidentatus,& Viſitatoratus officia,& nihilominus Conuerſi, qui acceperint, grauiter puniantur, & famuli abſque ſpe reditus à ſeruitio ſtatim eijciantur. Acta verò Viſitationum ſingula in libro à Viſitatore minore, vt præfertur annotata ad Capitulum poſtea celebrandum per dictum Viſitatorem minorem deferantur, vt etiam ipſi Viſitatores rationem eorum viſitationis reddere poſſint. Quod ſi cōtigerit Prælatum aliquem ſuo officio priuari vnus Vicarius tantùm à Viſitatoribus deputetur, vſquequò à Patribus Regiminis illius Prouinciæ alter ex eis, qui habeat requiſita, de quibus ſupra cap. 15. Prælatus in illius

locum

locum eligatur, electiones autem aliorum officiariorum in cauſa priuationis huiuſmodi ab ipſis Viſitatoribus fieri valeant, qui Præſidens, & Viſitatores in eorum viſitatione quaslibet cauſas terminare, ac decidere poſſint. Neminem tamen in ſui locum ad officium viſitandi ſubſtituere poſſint. Quod ſi quis prædictorum ob aduerſam valetudinem, aut aliter Viſitationum huiuſmodi labores ſufferre nequiuerit Patres Regiminis reſpectiuè alium in eius locum magis idoneum, & aptum conſtituant. Si autem ipſe Præſidens impotens fuerit, Regimen illius Prouinciæ, cuius erit Præſidens duos, aut tres Abbates ſuos alteri proponat Regimini, & quem acceptauerit à Præſidente ſubſtituatur, & cum eadem auctoritate viſitet; Nè verò viſitantibus pecuniæ adſumptus in itinere faciendos deſint, taxantur Monaſteria, vt infra, vt ſoluant, videlicet,

Monaſterium S. Crucis duc.	num.6.
Monaſterium Trium fontium duc.	num.15.
Monaſterium Montisamiatæ duc.	num.15.
Monaſterium Boniſolatij duc.	num.15.
Monaſterium Fauentiæ duc.	num.10.
Monaſterium S. Bartholomæi extra Ferrariam duc.	num.15.
Monaſterium S. Thomæ Torcellarum duc.	num.8.
Monaſterium Nonantulæ duc.	num.10.
Monaſterium S. Martini duc.	num.10.
Monaſterium Columbæ duc.	num.8.
Monaſterium Quartazolæ duc.	num.4.
Monaſterium Cauæ duc.	num.4.
Monaſterium S. Bernardi Cremæ duc.	num.4.
Monaſterium Cerreti duc.	num.6.
Monaſterium S. Ambroſij Mediolani duc.	num.10.
Monaſterium Claræuallis Mediolani duc.	num.10.
Monaſterium Morimundi duc.	num.20.
Monaſterium Aquæfrigidæ duc.	num.4.
Monaſterium Papiæ duc.	num.4.
Monaſterium Viqueriæ duc.	num.4.

Mona-

Monaſterium Caſænouæ duc. num. 4.
Monaſterium Lucedij duc. num. 8.
Monaſterium Carauag. duc. num. 4.
Monaſterium Ripaltæ duc. num. 2.
Monaſterium de Cornu duc. num. 2.

Quod ſi quid ad eam ſummam ijs pecunijs à Monaſterijs exactis defuerit, id ſuppleatur ab ea Prouincia, cuius erit defectus Prælatis verò portionem aſſignatam non conferentibus ea pœna ſtatuitur, vt vſque ad ſatisfactionem à dignitate ſint ſuſpenſi.

Quibus caſibus Abbates à Prælatura poſsint deponi. Cap. XXV.

PRælati vltra caſus per ſacros Canones non poſſint deponi, niſi ob notoria demerita, & præſertim deponantur.

Si in Diuinorum Officiorum, & Miſſarum celebratione quis notabiliter negligens fuerit præcedente tamen vnica monitione à Viſitatoribus facienda, & in libro Viſitationum regiſtranda.

Si conuictus fuerit de hæreſi, vel valde ſuſpectus.

Si de teſtimonij falſi, aut calumniæ, aut detractionis crimine in iudicio commiſſo, fuerit accuſatus, & conuictus.

Si confugerit ad Iudices, & Principes ſæculares non habentes iuriſdictionem ſuper Congregationem, & Ordinem ad impediendam Ordinis obſeruantiam, & tuenda ſua crimina.

Qui de contagione carnis fuerit conuictus ordine prius Iuris ſeruato.

Si crimina enormia ſuorum ſubditorum notabiliter diſſimulauerit præcedente tamen monitione.

Si blaſphemus, & percuſſor eſſe conſueuerit, etiamſi ſemel tantum notabiliter extra modum correctionis aliquem percuſſerit.

Si bonorum ſui Monaſterij notabilis fuerit diſſipator, & contemptor.

Si

Si libellum infamatorium ediderit, vel ſcripſerit, vel ſcribi iuſſerit, vel conſuluerit.

Si exercuerit mercaturas proprias.

Et demum qui non reſederit in Monaſterio cum ſibi commiſſo grege notabiliter, & ſine Superiorum permiſſione cum monitione tamen præcedente, & in libro Viſitatorum regiſtranda.

Prælatus priuatus aliquo ex ſupraſcriptis caſibus non poſſit iterum aſſumi niſi à Capitulo, & tunc niſi vita eius humiliatione iterum approbetur.

De Abbatibus, qui renunciant, cæteriſque Titularibus. Cap. XXVI.

Abbatibus emeritis, qui ex legitima cauſa renunciauerint dignitati, liceat honoris gratia Abbatis nomine vocari, quod maluerint Monaſterium pro habitatione tempore renunciationis, & celebrationis Capituli ſibi eligere, habere Conuerſum ad ſeruitia ſibi deputatum, & quoad victum, & veſtitum cenſeri vice Abbatum, non tamen ratione Abbatialis nominis, aut tituli vocem in Capitulo, aut Regimine habere, niſi eorum aliquid aliunde eis competat. Abbates pariter titulos miſericordiæ S. Trinitatis de Pinu, & S. Bernardi Limontæ habentes (ad quos promoueri poſt hac non poſſunt, niſi ij, qui in exercitio Abbatialis officij, ſiue dignitatis ſenuerint, & ad illud exercitium inhabiles effecti ſint) voce pariter tam in Capitulo, quàm in Regimine carebunt, nec Vicariatum in aliquo Monaſterio gerere, aut ad vocem in Regimine ſubſtitui poterunt, niſi quibus hactenus ex ſpeciali priuilegio conceſſum eſt. At verò Abbates S. Domnini Cremonæ, S. Luciæ Comitatus Stalis, & S. Trinitatis de Spineto vocem tam in Capitulo, quàm in Regimine ſiue tanquam principales, ſiue tanquam ſubſtituti habere, & ad Vicariatum in Monaſterijs gerendum, atque ad omnia deputari poterunt non ſecus ac reliqui Abbates Congregationis Abbatialis dignitatis, & officij exercitium actualiter habentes.

Quos

Quos ordines inter ſeſe ſeruent Prælati, & reliqui. Cap. XXVII.

POſt Præſidentem qui primum in Congregatione locum iure tenet, cæteri ſequuntur hoc ordine, Abbas S. Ambroſij Mediolanenſis, Abbas Septimi Florentiæ, Abbas Claræuallis Mediolani, Abbas S. Saluatoris Montisamiatæ, Abbas Clareuallis Placentiæ ſeu Colombæ, Abbas S. Petri Papiæ, Abbas S. Martini Parmæ, Abbas S Mariæ ab Angelo Fauentiæ, Abbas trium Magorum Viqueriæ, Abbas S. Crucis in Hieruſalem, Abbas Cauæ Cremoneñ, Abbas Quartacciolæ, Abbas Cerreti, Abbas Cremæ, Abbas Morimundi, Abbas Boniſolatij, Abbas Ciſtelli, Abbas S. Bartholomæi Ferrariæ, Abbas S. Thomæ Torcellarum, Abbas S. Anaſtaſij Trium fontium, Abbas Aquæ frigidæ, Abbas S. Silueſtri Nonantulæ, Abbas Caſænouæ, Abbas S. Galgani, Abbas Lucedij, Abbas S. Stephani de Cornu, Abbas Ripaltæ, Abbas S. Benedicti, Abbas S. Mariæ Roncibiani, Abbas S. Luciæ Comitatus Stalis, Abbas S. Domnini Credariæ, Abbas S. Trinitatis de Spineto. Abbates verò cæteri Titulares, & Emeriti poſt præfatos ſedeant, & inter ſe ordinem profeſſionis ſeruent. Hos ordines ſeruent etiam inter ſe ſupraſcriptorum Abbatum Priores Clauſtrales, Viſitatores verò minores vbi fuerint, locum immediatè habeant poſt Priores Clauſtrales in eorum Domo propria. Extrà verò dicti Viſitatores præcedant. Poſt Viſitatores primum vbique locum Lectores Collegiorum obtineant. Reliqui Monachi inter ſeſe ſuum vnuſquiſque profeſſionis locum ſeruent, ità tamen vt Sacerdotes eos, qui ad ſacerdotium adhuc promoti non ſunt, præcedant. Conuerſi item inter ſe profeſſionis ordinem teneant. Si acciderit in aliquo Monaſterio, ſeu loco Prælatum, ac reliquos illius loci Regimen habentes vno, & eodem tempore abeſſe ſacerdos profeſſione maior illius loci Conuentui præſit, niſi aliter ſuper hoc à Prælato ordinatum fuerit. Cum verò ali-

quis Abbas, vel plures ad aliquod Monaſterium acceſſerint, ſeruent inter ſe ſuos Ordines, Abbate tamen loci primum locum vbique tenente; qui quidem Abbates aduenæ huiuſmodi accedentes, vel inde recedentes proprio illius loci Abbati acceſſum, & receſſum notificare teneantur; ſi verò ibi erit Præſidens, ei omnes coram omninò ſeſe præſentent.

De reſidentia Prælatorum, officiariorum, & reliquorum in eorum Monaſterijs. Cap. XXVIII.

PAſtoris eſt Oues ſibi commiſſas verbo, & exemplo paſcere, quod ſane effici non poteſt, niſi illis præſentia adſit. Proinde Prælati quique poſtquam fuerint abſoluta comitia ad ſua reſpectiuè quamprimum Monaſteria, ſeu loca accedant, ibique inuigilent quoad fieri poteſt diù, noctùque ſuper commiſſum ſibi gregem, ſcientes ſe de omnibus negligentijs Deo Optimo Maximo rationem reddituros; nec ſub vllo prætextu poſſint à Monaſterijs abeſſe vltra viginti dies continuos. Prælatus, qui vltra prædictum tempus, vel in totius anni curſu vltra quadraginta dies continuis, & diſcontinuis computatis ſine licentia Regiminis ex legitima cauſa in licentia exprimenda, & in actis redigenda abſuerit à ſuo Monaſterio grauiter puniatur, etiam priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, quin etiam ſi Patres Regiminis ſi abſque legitima cauſa huiuſmodi licentiam conceſſerint graui pœna pro arbitrio Diffinitorij afficiantur, reliqui verò Monachi Sacerdotes tàm officiarij, quàm non, ſi infra menſem à reſolutione Capituli ad aſſignata ſibi Monaſteria, ſeu loca, vel officia non acceſſerint, ſint priuati voce actiua, & paſſiua vſque ad ſequens immediatè Capitulum incluſiuè, quod ſi vltra menſem in hoc fuerint cõtumaces compellantur (ſi in Monaſterijs commorentur) per Superiores adire Monaſteria ſibi aſſignata per omnes Ordinis pœnas; ſi vero extra Monaſteria fuerint peracto eo menſe in numero fugitiuorum cenſeantur. In quas pœnas ipſo facto incurrant

rant etiam quicumque in aſſignato ſibi loco vſque ad præſcriptum tempus ceſſante legitima cauſa à Regimine, vel Præſide cognoſcenda, & approbanda non perſeuerauerit,

Monachi Sanctæ Crucis, & Trium Fontium Romæ, & S. Galgani Seneñ æſtiuo tempore extra Monaſteria habitent. Cap. XXIX.

OB magnam aeris intemperiem, quam longa experientia docuit Monachi Sanctæ Crucis, & Trium Fontium Romæ æſtiuo tempore ſcilicet à dimidio mēſe Maio ad dimidium Octobrem plus minuſue prout feruor caloris præuenerit, aut diſtulerit in eorum Domibus, quas intra Vrbem habent, habitent, pariterque, & Monachi S. Galgani in Domo, quam in Oppido Iuſdini ement, aut cōducent, accedat tamen ſingulis feriatis diebus vnus ex ſingulis Monaſterijs ad Miſſam vnam priuatam in eorum Eccleſijs celebrandam, feſtiuis verò diebus omnes pro Conuentuali canenda.

Monachi quo pacto a Monaſterijs amouendi. Cap. XXX.

PRofeſſus vnius Prouinciæ niſi ob aliqua demerita, vel ex gratia ad petentis inſtantiam in aliam Prouinciam tranſmitti nō poſſit, ad alia verò quæcumque Monaſteria intra Prouinciam poſſit, ſed quia frequentibus Monachorum mutationibus de Monaſterio in Monaſterium non ſolum temporalem Monaſterioru m ſubſtantiam abſumi, ſed & obedientiam minui, & ſtabilitatem in Monaſterio, quàm ſummoperè commendat S. P. Benedictus omninò perire compertum eſt, propterea non liceat Patri Præſidi nec etiam de conſilio, & aſſenſu Patrum Regiminis ſuæ, vel alterius Prouinciæ, & multo minus ipſis Regiminibus ſiue ijs interſit

Præſes, ſiue non, extra Viſitationem Monachos de loco ad locum mutare, niſi ob vrgentiſſimas cauſas in decreto permutationis exprimendas.

Si quis autem extra Capituli, vel Viſitationis tempus ad aliud Monaſterium tranſire optauerit, is taxatis ſibi pro Veſtiario pecunijs, ſe, & mobilia quibus vtitur de licentia Superiorum ad petitæ deputationis locum transferat, habita Superiorum ſuorum licentia. Hortamur inſuper P. Præſidentem, & Patres Viſitatores, ne inter ipſas etiam viſitationes Religioſos ex quacumque leui cauſa de Monaſterio in Monaſterium migrare permittant, aut iubeant, ſed (quoad fieri poterit) Religioſi omnes in eo, cui ſemel adſcripti fuerint Monaſterio ſtabiles perſeuerent. Per menſem tamen integrum, & non vlterius poſt abſolutum Capitulum abſque alia Superiorum licentia liceat ſingulis quibuſcumque Prælatis Congregationis exceptis his, qui fuerint Romæ inter ſe viciſſim aliquos Monachos, & Conuerſos ſibi reſpectiuè aſſignatos permutare de conſenſu tamen partium permutantium, & permutandorum. Qui ſic permutati, Monaſteria permutationis non ſecus habeant ac ſi in ea à Diffinitoribus deputati eſſent.

De Computis, & Inuentarijs ad Capitulum deferendis. Cap. XXXI.

VT bona Monaſteriorum Cõgregationis veluti IESV CHRISTI patrimonium, benè, ac fideliter adminiſtrentur, præcipiunt Diffinitores ſingulis Congregationis Abbatibus, vt ad Capitulum deferant Monaſteriorum ſuorum reſpectiuè iuſta debita, credita, redditus, & expenſas, inuentaria ſingularum Cellarum Monachorum ab ipſiſmet Monachis ſubſcripta, & reliquæ ſuppellectilis tempore Capituli exiſtentis in Monaſterio, pariterque inuentarium vetus in Capitulo præterito ſibi conſignatum, idque ob id vt redeunti à Comitijs nouo Prælato omnia, & cognoſcenda, & recenſenda proferantur, qui quidem Abbas cum primum

ad

ad Monaſterium ſibi aſſignatum appulerit, & computa reuidere, & inuentaria recognoſcere nō differat, quod ſi quid fortè ammiſsū fuerit, aut aliter deperierit, id ab eis, quorum culpa perierit, ex integro reſarciatur: Abbas verò qui computa huiuſmodi, ac inuentaria ad Capitulum non detulerit, vel miſerit voce actiua in Capitulo careat. Vt vero ſit locus pœnæ contra inobedientes, computa, ac Inuentaria huiuſmodi præſententur eodem die, quo litteræ teſtimoniales Diſcretorum præſentari ſolent.

Quod nullus tempore Capituli, vel Viſitationis extra Monaſteria pernoctare audeat. Cap. XXXII.

QVoniam cum abſunt ab Ouilibus Paſtores, Oues perſæpe hùc atque illùc errare in ſui maximum diſcrimen, ac periculum, æquum non eſt, propterea non liceat ijs, qui Prælatorum vices gerunt in Monaſterijs, dum comitia habebuntur, aut Superioribus quibuſcumque per menſem poſt inchoatā illius Prouinciæ viſitationem permittere Religioſos ſibi ſubditos extra Monaſteria pernoctare; Quod ſi aliter factum fuerit Prælati, vel Superiores vt ſupra à dignitate, vel officio per menſem ſuſpendantur, licentiati verò huiuſmodi ſint in Clauſtro per annum integrum; excipiuntur tamen ab hoc decreto Cellerarij cum eis, quos ſuperiores huiuſmodi dederint ſibi ſocios, idque vrgentibus Monaſteriorum negotijs, & non aliter.

Quæ, & quo ordine in Monaſterio, vbi Capitulum celebratur. Miſſæ ſint cantandæ. Cap. XXXIII.

SI in omnibus ante omnia Regnum Dei quærendum, ſanè in primis id in negotijs maximi ponderis, nempe in creandis

Magi-

Magiſtratibus omni ſtudio curandum eſt. Quamobrem in Monaſterio, vbi comitia habebuntur, prima die, quæ erit feria ſecunda Miſſa pro Spiritus ſancti inuocatione à Præſidente, & Miniſtris Viſitatoribus ſolemniter celebretur, cui omnes Capitulares interſint, feria verò tertia cantetur Miſſa de Sancto Bernardo, feria verò quarta de Sancto Benedicto itidem ſolemniter, mox feria quinta fiat ſolemne Anniuerſarium pro omnibus Defunctis Ordinis noſtri. Ad quas Miſſas, necnon, & reliqua Diuina Officia, cunctaſue regulas obſeruantia omnes Capitulares concurrant ſub pœna diſciplinæ Regularis excipiuntur ab ijs Diffinitores, & ij, quibus aliquod graue negotium demandatum fuerit; His diebus ſi aliquod feſtum occurrerit, in quo duæ Miſſæ dici conſueuerint Matutinalis de Sancto dicetur, Maior vero vt ſupra dictum eſt, ſolemniter decantabitur,

A carnibus dum, & vbi Capitulum fiet, abſtinendum. Cap. XXXIV.

VBi frugalitatis, & parſimoniæ leges conduntur, ibi maximè parſimonia fulgere debet; Propterea, præſenti decreto ſancitum eſt, vt in Monaſterio, vbi comitia habebuntur, quandiù negotijs, rebuſue Capitularibus opera dabitur, à carnibus omnes abſtineant, & in Refectorio ſaltem in prandio cibum, qui duo obſonia non excedat cum conſueta lectione ſumant alias Vicarius Capituli à Patribus Diffinitoribus puniatur etiam pœna ſuſpenſionis.

Quomodo Officiarij ab eorum officijs ſuſpendi poſsint. Cap. XXXV.

AD tollendas ex Monaſterijs ſeditiones, ac diſcordias, quæ ab Officiarijs oriri ſolent, cum ab eis debitus honor ſuis reſpecti

pectiuè Prælatis non habetur. Diffinitores Regulæ Diui Benedicti, præceptis inherentes ſanciunt Priores, Superiores, Cellerarios, alioſue quoſcunque Officiarios, qui Prælatis ſuis non obedierint, vel eorum præceptis fuerint proterui, & contumaces, vel aliquod aliud indignum facinus patrarint non obſtantibus quibuſcumque tractatibus de eorum electionibus in Diffinitorio, vel aliàs habitis, poſſe per dictos eorum Prælatos ab officijs ſuſpendi, donec à Præſide, & Viſitatoribus, vel à Regimine cognita cauſa, aut amoueantur omninò, aut denuò ad illa habilitentur.

De Oratione. Cap. XXXVI.

MOnachos, qui contemplatiuam vitam profitentur, orare opportet ſemper aut certè aſſiduè, ac proinde id temporis, quod Orationi vocali, de qua ſtatim dicendum erit, ſupereſt, mentali opportet impendere, ad minus tamen de mane media hora ſinguli in ſuis Cellis, & poſt Completorium in Choro per quartam horæ partem mentaliter apud ſe orent, ſub pœnis Superiori cuiuſlibet Monaſterij beneuiſis.

De Diuinis Officijs. Cap. XXXVII.

PRæcipitur omnibus Prælatis, ac Monachis Congregationis, vt nulla quauis occaſione præterquam ægritudinis ommittant quotidie totum Officium celebrare in Choro modo, & forma in Inſtitutis Ordinis contentis, & conſuetis neque paucitas vnquam excuſet; nam ſi vnus tantum fuerit, à quo id perfici queat ab vno illo efficiendum decernitur. In Monaſterijs igitur, in quibus maior Congregatio fuerit Miſſa quotidiè, Tertia, & Veſperæ cantentur (maior autem Congregatio ea intelligitur, vbi duodecim ſaltem Monachi fuerint) vbi verò minor Congregatio fuerit diebus feſtiuis itidem Miſſa, Tertia, & Veſperæ cantentur;

Reli-

Reliquis verò diebus Miſſa ſaltem decantari non omittatur. Vbi etiam fuerint octo Sacerdotes ad celebrandum idonei vltra hebdomadam Miſſæ Conuentualis, quæ vbiuis locorum nunquam ommitti debet ad reliquas Miſſarum hebdomadas, nempe de Beata Virgine, pro Defunctis, necnon aliarum conſuetarum omninò teneantur. Vbi verò fuerint pauciores à Miſſa pro Defunctis excuſentur, ſed hebdomadarius Miſſæ Beatæ Virginis in ipſa Miſſa quotidie, & Collectā pro Defunctis dicat, & Sacrificium offerat.

Quorum Sanctorum feſta in Congregatione celebranda. Cap. XXXVIII.

PRæter feſta Sanctorum in Kalendario appoſita celebrent etiā ſingula Monaſteria cum duodecim lectionibus feſta eorum Sanctorum, quorum corpora, vel Inſignes Reliquias habent, necnon, & eorum, quæ celebrantur in Diœceſi, in qua Monaſterium eſt conſtructum, illorum cum duabus Miſſis, iſtorum cum vna. Feſta autem Sanctorum noſtri Ordinis duplici ſigno Campanarum, & adhibitis Miniſtris tàm in Miſſis, quàm in Veſperis ſolemnizentur.

Quando, & quomodo Angelorum Canticum. & Symbolum in Miſsis dicatur. Cap. XXXIX

ANgelorum Canticum, & Symbolum dicatur in Miſſis omnibus diebus, quibus Ordo noſter illa dicere conſueuit, & ijs prærerea, quibus Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Magiſtra ea dicere ſolet. Symbolum nunquam Organis, ſed vocaliter ab vtroque Choro cantetur.

De

De Anniuerſario Sancti Lamberti. Cap. XL.

POſtridie feſti S. Lamberti non impedito, aut alio die, prout in Rubricis Breuiarij quotannis Anniuerſarium pro Animabus Defunctorum noſtri Ordinis, & Benefactorum ab omnibus deuotè celebretur; Præter ea autem, ad quæ ſinguli Monachi, ſiue Sacerdotes, ſiue non Sacerdotes, & Conuerſi pariter tenentur iuxtà Rubricas eiuſdem Breuiarij à die ipſius Anniuerſarij ſingula Monaſteria per triginta dies continuos ſingulis diebus ad eleemoſynam adijciant panis, vini, pulmenti, & obſonij id quod vni Monacho pro ſua portione dari conſueuit.

Quota hora noctis ad vigilias, ſeu matutinas laudes ſurgendum. Cap. XLI.

VT omnia loco, & tempore, & ea maximè, quæ ad Dei cultum pertinent, ordinatè fiant; Mandant Diffinitores, vt in omnibus, & ſingulis Congregationis Monaſterijs, vbi maior Congregatio fuerit ſi non ea hora, quæ à Diuo Benedicto præſcripta fuit, ſaltem in hieme hora decima, & in eſtate hoc eſt menſibus Maij, Iunij, Iulij, & Auguſti per horam ante lucem ad vigilias ſurgatur: Ad quas omnes, qui aut ægritudine, vel à legitimo impedimento detenti non fuerint, concurrant, quod ſi aliquis ad has, vel ad alias quaslibet canonicas diei horas adeò tardè aduenerit, vt ſecundus cuiuſque horæ Pſalmus iam fuerit inceptus, Chorum non intret, niſi prius flexis ad gradum genibus ſentiat ſibi à Superiore ingrediendi Chorum veniam dari, qui itidem ad Menſam poſt habitam benedictionem acceſſerit, genibus ſimiliter flexis accumbendi facultatem, & licentiam, & petat, & conſequatur.

Seniores quibus obſeruantijs eximantur. Cap. XLII.

II, qui in Congregatione à die profeſſionis annũ agunt quadrageſimum non tantum ab onere ſurgendi ad vigilias, & ab omnibus hebdomadibus, præterquam Miſſarum exempti ſint, ſed etiam in cæteris omnibus eorum imbecillitatis ratio habeatur, & omninò ad normam regulæ cap. 37. miſericorditer tractentur, ipſi tamen ne hinc occaſionem arripiant delicatè, & præter monaſticam ſeueritatem viuendi ſcientes robuſtum ſenem coram Deo non plus excuſari, quàm validum iuuenem. Qui verò hac ab hebdomadibus exemptione gaudebunt, & pariter qui Miſſarum hebdomadas peragere non valebunt, in Capitulo Diſcreti eſſe non poterunt.

Monachis nulla niſi graui de cauſa ex Monaſterijs exeundum. Cap. XLIII.

CAueant Prælati, ne leuiori qualibet cauſa permittant ſibi ſubditos Monachos, & Conuerſos extrà Monaſteria vagari, & multò minus pernoctare in eorum animarum diſcrimen, & ſœcularium ſcandalum, quod ſi quandoque aliqua legitima cauſa contigerit nonnullos dimittere non eos omninò permittant ſolos, ſed binos ſaltem exire. Cellerarijs verò locorum, vbi minor Congregatio fuerit, ſi Monachus, vel Conuerſus in ſocium aſſumi non potuerit, famulus ſaltem eorum vitæ, & actuum teſtis aſſocietur. Quod ſi aliquis vel ſolus, vel ſocius coniunctus tam indignum facinus auſit, vt meretriciam, vel ſuſpectam domum ingredi non vereatur, vel etiam ſcortum vbicumque impudicè alloqui, ſi ſacerdos fuerit voce vtraque per triennium careat, nec Monaſterij Clauſtra per annum egrediatur, ſi non Sacerdos,

vel Conuerſus in carcerem per annum ieiunio panis, & aquæ ſingulis diebus Veneris affligendus trudatur. Caueant vero antè omnia etiam Prælati, ne prædictos ſubditos ad funeralia, vel ad Miſſas in alienis Eccleſijs dicendas exire permittant.

Quod Monachi, vel Conuerſi non pernoctent extrà Monaſteria. Cap. XLIV.

QVicumque aliqua legitima cauſa exeundi extrà Monaſteriū à Prelato veniam obtinuerit, caueat ne vltra menſem abſit, alioquin ſciat ſe ipſo facto in priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ vſque ad ſequens Capitulum incluſiuè pœnam incidiſſe; Si quis verò longiori termino indiguerit, id à Regimine, vel Præſide obtinere ſtudeat; non enim permittitur Prælatis vltra menſem ſubditos licentiare poſſe, quod ſi fecerint, per Viſitatores grauiter puniantur. Nullus vero ex ſubditis licentias huiuſmodi in Ciuitate, in qua aliquod Congregationis Monaſterium fuerit, vel ab ea quinque tantum milliaribus diſtet extrà Monaſterium huiuſmodi pernoctare audeat, quod ſi aliqua forte grauiori cauſa eum extrà manere cogat, de ea Abbatem viciniorìs Monaſterij certiorem faciat, veniamque petat, ea non obtenta nullo pacto extrà Monaſterium pernoctare audeat ſub pœna clauſtri per annum pro qualibet vice, tempore verò Quadrageſimæ, aut Aduentus, nullus præter Abbates, ac Cellerarios, idque pro negotijs Monaſteriorum tantùm extrà Monaſteria pernoctare permittatur. Non ſacerdotibus nullo modo detur licentia permanendi recreationis gratia in loco, in quo ſit eis pernoctandum extrà Monaſteria, vel loca Monaſteriorum. Abbas, qui aduerſus hoc licentiam conceſſerit, ab officio per ſex menſes ſuſpendatur.

mentis ſanciunt, ac præcipiunt vltra omnia ieiunia ab Eccleſia indicta ab omnibus irremiſibiliter obſeruanda ieiunia etiam quæ regularia nuncupantur obſeruari debere. Quod ſi & temporum ratio, & perſonarum imbecillitas id poſtulant, poterunt Prælati pro eorum conſcientia diſpenſare, ità tamen vt ter ſaltem in hebdomada poſt Idus Septembris ab omnibus ieiunetur. Caueant verò vbique Prælati, ne in Aduentu, quo tempore etiam omni ieiunandum eſt alios quàm Quadrageſimales cibos edi concedant, quod ſi alicubi piſcium copia fortè non ſuppetat, ibi liceat ouis, & lacticinijs ſemel tantum in die refici. Neque verò priuatim permittatur quiſpiam præter infirmos, & valetudinarios, aut carnibus veſci, aut ieiunium ſoluere, niſi legitima de cauſa ab Abbate Monaſterij iudicanda, qua in re ne nimium faciles ſint Abbates cum ſubditis ſecum verò omninò ſeueriores ſint, quoniam prauis eorum exemplis neceſſe eſt omnia corrumpi. Religioſi contrafacientes pro qualibet vice in pane, & aqua humi publicè comedant; Prælati verò, qui contrafecerint per Viſitatores grauiter puniantur.

Qui, quomodò, & vbi ad Religionem admittendi. Cap. XLVIII.

Eos, qui ad Religionem admittendi ſunt diligenter vt infra examinandos monent, & iubent Summi Pontifices ſcientes quod non eſt arbor mala, quæ bonos fructus faciat, ac proinde cordatis, ac zelum Dei habentibus agricolis diſcernendum eſſe quid in agro Dei plantent, aut ſerant. Igitur ante cuiuſpiam admiſſionem ad habitum examinent prius PP. Diffinitores, ſiue Regiminis, vel alij ex Congregatione fide digni ipſis ſigillatim relaturi, & ab ipſis deputati.

An ſit ex legitimo matrimonio natus, & procreatus, quod ſi fuerit illegitimus diligenter eius vitam, & mores inquirant, & ità demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpeci-

men

men præſeferat, ac tot ei merita ſuffragentur, vt Natalium ſuppleant defectum, eiuſque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura matura deliberatione præhabita iudicetur.

An ex honeſtis Parentibus natus ſit.

An ſit vegeto, & robuſto corpore, vt Religionis obſeruantias, & onera ferre poſſit, & multo magis an ſit mente ſanus, & ingenio docili, ſed & notabiliter deformes non ſunt admittendi.

An vitam præteritam ſine nota, aut ſcandalo duxerit, iiſque ſit moribus, & indole, vt ſpem faciat eum in probum, iuſtumque Monachum euaſurum.

An linguam latinam ità teneat, vt ſine Doctoris ope ad ſcientias tranſire valeat, vel ſaltem ita litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt minores, & ſuis temporibus maiores ordines iuxtà decreta ſacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens ad habitum admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit in Conuerſorum tantum numerum referatur.

An, qui in Clericum admittendus eſt, ſit ab ijs irregularitatibus immunis, quæ nullam, aut difficilem diſpenſationem inueniunt.

An zelo melioris frugis, ac perfectionis vitæ, & vt Deo liberius famulari poſſit, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducatur quod inde dignoſcendum monet S.P.N. Benedictus, ſi veniens perſeuerauerit pulſans, illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ.

An eius Parentes ope, & ſubſidio ipſius indigentes deſtituantur.

An fuerit aliquando alterius Religionis; nam huiuſcemodi inconſulta Sede Apoſtolica, & ſine Patrum Diffinitorum conſenſu recipere PP. Regiminis non poſſunt.

Maiores ſexdecim annis non recipiantur, niſi prætereà ex ac-

curata

Magiſtratibus omni ſtudio curandum eſt. Quamobrem in Monaſterio, vbi comitia habebuntur, prima die, quæ erit feria ſecunda Miſſa pro Spiritus ſanĉti inuocatione à Præſidente, & Miniſtris Viſitatoribus ſolemniter celebretur, cui omnes Capitulares interſint, feria verò tertia cantetur Miſſa de Sanĉto Bernardo, feria verò quarta de Sanĉto Benediĉto itidem ſolemniter, mox feria quinta fiat ſolemne Anniuerſarium pro omnibus Defunĉtis Ordinis noſtri. Ad quas Miſſas, necnon, & reliqua Diuina Officia, cunĉtaſue regulas obſeruantia omnes Capitulares concurrant ſub pœna diſciplinæ Regularis excipiuntur ab ijs Diffinitores, & ij, quibus aliquod graue negotium demandatum fuerit; His diebus ſi aliquod feſtum occurrerit, in quo duæ Miſſæ dici conſueuerint Matutinalis de Sanĉto dicetur; Maior vero vt ſupra diĉtum eſt, ſolemniter decantabitur,

A carnibus dum, & vbi Capitulum fiet, abſtinendum. Cap. XXXIV.

VBi frugalitatis, & parſimoniæ leges conduntur, ibi maximè parſimonia fulgere debet; Propterea præſenti decreto ſancitum eſt, vt in Monaſterio, vbi comitia habebuntur, quandiù negotijs, rebuſue Capitularibus opera dabitur, à carnibus omnes abſtineant, & in Refeĉtorio ſaltem in prandio cibum, qui duo obſonia non excedat cum conſueta leĉtione ſumant alias Vicarius Capituli à Patribus Diffinitoribus puniatur etiam pœna ſuſpenſionis.

Quomodo Officiarij ab eorum officijs ſuſpendi poſsint. Cap. XXXV.

AD tollendas ex Monaſterijs ſeditiones, ac diſcordias, quæ ab Officiarijs oriri ſolent, cum ab eis debitus honor ſuis reſpeĉti

pectiuè Prælatis non habetur. Diffinitores Regulæ Diui Benedicti, præceptis inherentes ſanciunt Priores, Superiores, Cellerarios, aliosue quoſcunque Officiarios, qui Prælatis ſuis non obedierint, vel eorum præceptis fuerint proterui, & contumaces, vel aliquod aliud indignum facinus patrarint non obſtantibus quibuſcumque tractatibus de eorum electionibus in Diffinitorio, vel aliàs habitis, poſſe per dictos eorum Prælatos ab officijs ſuſpendi, donec à Præſide, & Viſitatoribus, vel à Regimine cognita cauſa, aut amoueantur omninò, aut denuò ad illa habilitentur.

De Oratione. Cap. XXXVI.

MOnachos, qui contemplatiuam vitam profitentur, orare opportet ſemper aut certè aſſiduè, ac proinde id temporis, quod Orationi vocali, de qua ſtatim dicendum erit, ſupereſt, mentali opportet impendere, ad minus tamen de mane media hora ſinguli in ſuis Cellis, & poſt Completorium in Choro per quartam horæ partem mentaliter apud ſe orent, ſub pœnis Superiori cuiuſlibet Monaſterij beneuiſis.

De Diuinis Officijs. Cap. XXXVII.

PRæcipitur omnibus Prælatis, ac Monachis Congregationis, vt nulla quauis occaſione præterquam ægritudinis ommittant quotidie totum Officium celebrare in Choro modo, & forma in Inſtitutis Ordinis contentis, & conſuetis neque paucitas vnquam excuſet; nam ſi vnus tantum fuerit, à quo id perfici queat ab vno illo efficiendum decernitur. In Monaſterijs igitur, in quibus maior Congregatio fuerit Miſſa quotidiè, Tertia, & Veſperæ cantentur (maior autem Congregatio ea intelligitur, vbi duodecim ſaltem Monachi fuerint) vbi verò minor Congregatio fuerit diebus feſtiuis itidem Miſſa, Tertia, & Veſperæ cantentur;

Reliquis verò diebus Miſſa ſaltem decantari non omittatur. Vbi etiam fuerint octo Sacerdotes ad celebrandum idonei vltra hebdomadam Miſſæ Conuentualis, quæ vbiuis locorum nunquam ommitti debet ad reliquas Miſſarum hebdomadas, nempe de Beata Virgine, pro Defunctis, necnon aliarum conſuetarum omninò teneantur. Vbi verò fuerint pauciores à Miſſa pro Defunctis excuſentur, ſed hebdomadarius Miſſæ Beatæ Virginis in ipſa Miſſa quotidie, & Collectã pro Defunctis dicat, & Sacrificium offerat.

Quorum Sanctorum feſta in Congregatione celebranda. Cap. XXXVIII.

PRæter feſta Sanctorum in Kalendario appoſita celebrent etiã ſingula Monaſteria cum duodecim lectionibus feſta eorum Sanctorum, quorum corpora, vel Inſignes Reliquias habent, necnon, & eorum, quæ celebrantur in Diœceſi, in qua Monaſterium eſt conſtructum, illorum cum duabus Miſſis, iſtorum cum vna. Feſta autem Sanctorum noſtri Ordinis duplici ſigno Campanarum, & adhibitis Miniſtris tàm in Miſſis, quàm in Veſperis ſolemnizentur.

Quando, & quomodo Angelorum Canticum. & Symbolum in Miſsis dicatur. Cap. XXXIX

ANgelorum Canticum, & Symbolum dicatur in Miſſis omnibus diebus, quibus Ordo noſter illa dicere conſueuit, & ijs prærerea, quibus Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Magiſtra ea dicere ſolet. Symbolum nunquam Organis, ſed vocaliter ab vtroque Choro cantetur.

De

De Anniuerſario Sancti Lamberti. Cap. XL.

POſtridie feſti S. Lamberti non impedito, aut alio die, prout in Rubricis Breuiarij quotannis Anniuerſarium pro Animabus Defunctorum noſtri Ordinis, & Benefactorum ab omnibus deuotè celebretur; Præter ea autem, ad quæ ſinguli Monachi, ſiue Sacerdotes, ſiue non Sacerdotes, & Conuerſi pariter tenentur iuxtà Rubricas eiuſdem Breuiarij à die ipſius Anniuerſarij ſingula Monaſteria per triginta dies continuos ſingulis diebus ad eleemoſynam adijciant panis, vini, pulmenti, & obſonij id quod vni Monacho pro ſua portione dari conſueuit.

Quota hora noctis ad vigilias, ſeu matutinas laudes ſurgendum. Cap. XLI.

VT omnia loco, & tempore, & ea maximè, quæ ad Dei cultum pertinent, ordinatè fiant; Mandant Diffinitores, vt in omnibus, & ſingulis Congregationis Monaſterijs, vbi maior Congregatio fuerit ſi non ea hora, quæ à Diuo Benedicto præſcripta fuit, ſaltem in hieme hora decima, & in eſtate hoc eſt menſibus Maij, Iunij, Iulij, & Auguſti per horam ante lucem ad vigilias ſurgatur: Ad quas omnes, qui aut ægritudine, vel à legitimo impedimento detenti non fuerint, concurrant, quod ſi aliquis ad has, vel ad alias quaslibet canonicas diei horas adeò tardè aduenerit, vt ſecundus cuiuſque horæ Pſalmus iam fuerit inceptus, Chorum non intret, niſi prius flexis ad gradum genibus ſentiat ſibi à Superiore ingrediendi Chorum veniam dari, qui itidem ad Menſam poſt habitam benedictionem acceſſerit, genibus ſimiliter flexis accumbendi facultatem, & licentiam, & petat, & conſequatur.

Seniores quibus obſeruantijs eximantur. Cap. XLII.

II, qui in Congregatione à die profeſſionis annū agunt quadrageſimum non tantum ab onere ſurgendi ad vigilias, & ab omnibus hebdomadibus, præterquam Miſſarum exempti ſint, ſed etiam in cæteris omnibus eorum imbecillitatis ratio habeatur, & omninò ad normam regulæ cap. 37. miſericorditer tractentur, ipſi tamen ne hinc occaſionem arripiant delicatè, & præter monaſticam ſeueritatem viuendi ſcientes robuſtum ſenem coram Deo non plus excuſari, quàm validum iuuenem. Qui verò hac ab hebdomadibus exemptione gaudebunt, & pariter qui Miſſarum hebdomadas peragere non valebunt, in Capitulo Diſcreti eſſe non poterunt.

Monachis nulla niſi graui de cauſa ex Monaſterijs [illegible] exeundum. Cap. XLIII.

CAueant Prælati, ne leuiori qualibet cauſa permittant ſibi ſubditos Monachos, & Conuerſos extrà Monaſteria vagari, & multò minus pernoctare in eorum animarum diſcrimen, & ſæcularium ſcandalum, quod ſi quandoque aliqua legitima cauſa contigerit nonnullos dimittere non eos omninò permittant ſolos, ſed binos ſaltem exire. Cellerarijs verò locorum, vbi minor Congregatio fuerit, ſi Monachus, vel Conuerſus in ſocium aſſumi non potuerit, famulus ſaltem eorum vitæ, & actuum teſtis aſſocietur. Quod ſi aliquis vel ſolus, vel ſocius coniunctus tam indignum facinus auſit, vt meretriciam, vel ſuſpectam domum ingredi non vereatur, vel etiam ſcortum vbicumque impudicè alloqui, ſi ſacerdos fuerit voce vtraque per triennium careat, nec Monaſterij Clauſtra per annum egrediatur, ſi non Sacerdos,

vel

vel Conuerſus in carcerem per annum ieiunio panis,& aquæ ſingulis diebus Veneris affligendus trudatur. Caueant verò ante omnia etiam Prælati, ne prædictos ſubditos ad funeralia, vel ad Miſſas in alienis Eccleſijs dicendas exire permittant.

Quod Monachi, vel Conuerſi non pernoctent extrà Monaſteria. Cap. XLIV.

QVicumque aliqua legitima cauſa exeundi extrà Monaſteriũ à Prælato veniam obtinuerit, caueat ne vltra menſem abſit, alioquin ſciat ſe ipſo facto in priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ vſque ad ſequens Capitulum incluſiuè pœnam incidiſſe; Si quis verò longiori termino indiguerit,id à Regimine,vel Præſide obtinere ſtudeat; non enim permittitur Prælatis vltra menſem ſubditos licentiare poſſe, quod ſi fecerint, per Viſitatores grauiter puniantur. Nullus vero ex ſubditis licentias huiuſmodi in Ciuitate, in qua aliquod Congregationis Monaſterium fuerit, vel ab ea quinque tantum milliaribus diſtet extrà Monaſterium huiuſmodi pernoctare audeat, quod ſi aliqua forte grauiori cauſa eum extrà manere cogat, de ea Abbatem vicinioris Monaſterij certiorem faciat, veniamque petat, ea non obtenta nullo pacto extrà Monaſterium pernoctare audeat ſub pœna clauſtri per annum pro qualibet vice,tempore verò Quadrageſimæ,aut Aduentus, nullus præter Abbates, ac Cellerarios, idque pro negotijs Monaſteriorum tantùm extrà Monaſteria pernoctare permittatur. Non ſacerdotibus nullo modo detur licentia permanendi recreationis gratia in loco, in quo ſit eis pernoctandum extrà Monaſteria, vel loca Monaſteriorum. Abbas, qui aduerſus hoc licentiam conceſſerit,ab officio per ſex menſes ſuſpendatur.

Seniores quibus obſeruantijs eximantur. Cap. XLII.

II, qui in Congregatione à die profeſſionis annũ agunt quadrageſimum non tantum ab onere ſurgendi ad vigilias, & ab omnibus hebdomadibus, præterquam Miſſarum exempti ſint, ſed etiam in cæteris omnibus eorum imbecillitatis ratio habeatur, & omninò ad normam regulæ cap. 37. miſericorditer tractentur, ipſi tamen ne hinc occaſionem arripiant delicatè, & præter monaſticam ſeueritatem viuendi ſcientes robuſtum ſenem coram Deo non plus excuſari, quàm validum iuuenem. Qui verò hac ab hebdomadibus exemptione gaudebunt, & pariter qui Miſſarum hebdomadas peragere non valebunt, in Capitulo Diſcreti eſſe non poterunt.

Monachis nulla niſi graui de cauſa ex Monaſterijs exeundum. Cap. XLIII.

CAueant Prælati, ne leuiori qualibet cauſa permittant ſibi ſubditos Monachos, & Conuerſos extrà Monaſteria vagari, & multò minus pernoctare in eorum animarum diſcrimen, & ſœcularium ſcandalum, quod ſi quandoque aliqua legitima cauſa contigerit nonnullos dimittere non eos omninò permittant ſolos, ſed binos ſaltem exire. Cellerarijs verò locorum, vbi minor Congregatio fuerit, ſi Monachus, vel Conuerſus in ſocium aſſumi non potuerit, famulus ſaltem eorum vitæ, & actuum teſtis aſſocietur. Quod ſi aliquis vel ſolus, vel ſocius coniunctus tam indignum facinus auſit, vt meretriciam, vel ſuſpectam domum ingredi non vereatur, vel etiam ſcortum vbicumque impudicè alloqui, ſi ſacerdos fuerit voce vtraque per triennium careat, nec Monaſterij Clauſtra per annum egrediatur, ſi non Sacerdos,

vel

vel Conuerſus in carcerem per annum ieiunio panis, & aquæ ſingulis diebus Veneris affligendus trudatur. Caueant vero ante omnia etiam Prælati, ne prædictos ſubditos ad funeralia, vel ad Miſſas in alienis Eccleſijs dicendas exire permittant.

Quod Monachi, vel Conuerſi non pernoctent extrà Monaſteria. Cap. XLIV.

QVicumque aliqua legitima cauſa exeundi extrà Monaſteriũ à Prẹlato veniam obtinuerit, caueat ne vltra menſem abſit, alioquin ſciat ſe ipſo facto in priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ vſque ad ſequens Capitulum incluſiuè pœnam incidiſſe; Si quis verò longiori termino indiguerit, id à Regimine, vel Præſide obtinere ſtudeat; non enim permittitur Prælatis vltra menſem ſubditos licentiare poſſe, quod ſi fecerint, per Viſitatores grauiter puniantur. Nullus vero ex ſubditis licentias huiuſmodi in Ciuitate, in qua aliquod Congregationis Monaſterium fuerit, vel ab ea quinque tantum milliaribus diſtet extrà Monaſterium huiuſmodi pernoctare audeat, quod ſi aliqua forte grauiori cauſa eum extrà manere cogat, de ea Abbatem vicinioris Monaſterij certiorem faciat, veniamque petat, ea non obtenta nullo pacto extrà Monaſterium pernoctare audeat ſub pœna clauſtri per annum pro qualibet vice, tempore verò Quadrageſimæ, aut Aduentus, nullus præter Abbates, ac Cellerarios, idque pro negotijs Monaſteriorum tantùm extrà Monaſteria pernoctare permittatur. Non ſacerdotibus nullo modo detur licentia permanendi recreationis gratia in loco, in quo ſit eis pernoctandum extrà Monaſteria, vel loca Monaſteriorum. Abbas, qui aduerſus hoc licentiam conceſſerit, ab officio per ſex menſes ſuſpendatur.

Quod officium à Conuerſis dicendum. Cap. XLV.

QVamquam Conuerſis in Congregatione aſciſcantur, vt actiuæ vitæ magis quàm contemplatiuæ inſeruiant, æquū tamen eſt, vt & ipſi nonnihil temporis Deo Opt. Max. laudando impendant, quamobrem Diuinum Officium, & ipſi hoc ordine dicent, videlicet, quamcumque horam inchoabunt ſicut Monachi præuijs Oratione Dominica, Pater noſter, & Angelica ſalutatione, Aue Maria, ſed nocturnis, Primæ, & Completorio addant etiam ſymbolum Credo in Deum Patrem. Celebraturi igitur nocturnas vigilias dictis ante omnia, vt præmittitur, Oratione Dominica, Angelica ſalutatione, & ſymbolo, ſubſequantur, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina, deinde ter repetant Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Tum ſi dies Dominica, vel alicuius Sancti feſtum fuerit, de quo duodecim Lectiones habeantur, dicant quadragies Orationem Dominicam, & toties Angelicam ſalutationem, repetentes ad ſingulas dictarum Orationum copulas Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat &c. Si verò dies erit ferialis ſupraſcripta vigeſies dixiſſe ſufficiat, quibus dictis accedat Kyrie, Chriſte, Kyrie eleiſon, Pater noſter, Aue Maria, Per Dóminum noſtrum, Benedicamus Domino, Deo gratias.

Principij huius, & finis regula eadem omnibus horis ſeruetur, ſed diſcrimen in numero Orationum Dominicarum, & ſalutationum Angelicarum verſabitur, Ad Laudes enim decies, ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam quinquies, ad Veſperas autem decies Dominica Oratio cum his, quæ ſupra dicta ſunt dicenda erit. Porrò ad Completorium Dominicæ Orationi quinquies repetitæ, Canticum Salue Regina, ſalutatioq. Angelica ter dicenda, ac fidelium Defunctorum animæ per Dei miſericordiam requieſcant in pace addenda erunt.

Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum qua reuerentia cuſtodiendum. Cap. XLVI.

QVemadmodum ex omnibus ſacris Miſterijs, quæ Nobis tanquam Diuinæ gratiæ certiſſima inſtrumenta Dominus Saluator noſter commendauit, nullum eſt, quod cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento comparari queat. Ita etiam nulla grauior alicuius ſceleris animaduerſio à Deo metuenda eſt, quàm ſi res omnis ſanctitatis plena, vel potius quæ ipſum ſanctitatis auctorem, & fontem continet, neque ſanctè, neque religiosè à fidelibus tractetur, ob id omnibus Prælatis diſtrictè præcipitur, vt ſanctiſſimo corpori Domini Noſtri Ieſu Chriſti is honor, eaque reuerentia habeatur, quæ Deo digna ſit, In vaſe argenteo tabernaculo intus, foriſq. quàm honorificentiſſimè culto, atque ornato illud aſſeruent, lumen continuè aſſiſtat, & quod omnium maximum eſt, pietas non deſit; Nullus ante ſanctiſſimum corpus tranſeat, qui aperto capite, profundaque inclinatione venerationis ſignum non faciat; Caueant etiam Prælati, ne paramenta Eccleſiæ in vſum ſacerdotum celebrantium, vel ornandorum Altarium concinnata, Calices, cæteraq. alia id genus huiuſmodi ſint, quæ Diuino cultui non conueniant, quæ verò trita, vetuſta nimis fuerint, aut ex integro reſtituantur, aut quàm optimè reſarciantur.

Quo tempore ſit Monachis ieiunandum. Cap. XLVII.

CArnem ſpiritui inimicam eſſe, & tunc temporis maximè, cum lauta ciborum varietate grauatur, nullus qui ſanæ mentis eſt non cognoſcit, & experitur; Propterea inhærentes Diffinitores antiquis Eccleſiæ, ac Monaſticæ diſciplinæ documentis

mentis

mentis ſanciunt, ac præcipiunt vltra omnia ieiunia ab Eccleſia indicta ab omnibus irremiſibiliter obſeruanda ieiunia etiam quæ regularia nuncupantur obſeruari debere. Quod ſi & temporum ratio, & perſonarum imbecillitas id poſtulant, poterunt Prælati pro eorum conſcientia diſpenſare, ità tamen vt ter ſaltem in hebdomada poſt Idus Septembris ab omnibus ieiunetur. Caueant verò vbique Prælati, ne in Aduentu, quo tempore etiam omni ieiunandum eſt alios quàm Quadrageſimales cibos edi concedant, quod ſi alicubi piſcium copia fortè non ſuppetat, ibi liceat ouis, & lacticinijs ſemel tantum in die refici. Neque verò priuatim permittatur quiſpiam præter infirmos, & valetudinarios, aut carnibus veſci, aut ieiunium ſoluere, niſi legitima de cauſa ab Abbate Monaſterij iudicanda, qua in re ne nimium faciles ſint Abbates cum ſubditis ſecum verò omninò ſeueriores ſint, quoniam prauis eorum exemplis neceſſe eſt omnia corrumpi. Religioſi contrafacientes pro qualibet vice in pane, & aqua humi publicè comedant; Prælati verò, qui contrafecerint per Viſitatores grauiter puniantur.

Qui, quomodo, & vbi ad Religionem admittendi. Cap. XLVIII.

Eos, qui ad Religionem admittendi ſunt diligenter vt infra examinandos monent, & iubent Summi Pontifices ſcientes quod non eſt arbor mala, quæ bonos fructus faciat, ac proinde cordatis, ac zelum Dei habentibus agricolis diſcernendum eſſe quid in agro Dei plantent, aut ſerant. Igitur ante cuiuſpiam admiſſionem ad habitum examinent prius PP. Diffinitores, ſiue Regiminis, vel alij ex Congregatione fide digni ipſis ſigillatim relaturi, & ab ipſis deputati.

An ſit ex legitimo matrimonio natus, & procreatus, quod ſi fuerit illegitimus diligenter eius vitam, & mores inquirant, & ità demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen

men præſeferat, ac tot ei merita ſuffragentur, vt Natalium ſuppleant defectum, eiuſque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura matura deliberatione præhabita iudicetur.

An ex honeſtis Parentibus natus ſit.

An ſit vegeto, & robuſto corpore, vt Religionis obſeruantias, & onera ferre poſſit, & multo magis an ſit mente ſanus, & ingenio docili, ſed & notabiliter deformes non ſunt admittendi.

An vitam præteritam ſine nota, aut ſcandalo duxerit, iiſque ſit moribus, & indole, vt ſpem faciat eum in probum, iuſtumque Monachum euaſurum.

An linguam latinam ità teneat, vt ſine Doctoris ope ad ſcientias tranſire valeat, vel ſaltem ita litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt minores, & ſuis temporibus maiores ordines iuxtà decreta ſacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens ad habitum admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit in Conuerſorum tantum numerum referatur.

An, qui in Clericum admittendus eſt, ſit ab ijs irregularitatibus immunis, quæ nullam, aut difficilem diſpenſationem inueniunt.

An zelo melioris frugis, ac perfectionis vitæ, & vt Deo liberius famulari poſſit, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducatur quod inde dignoſcendum monet S.P.N. Benedictus, ſi veniens perſeuerauerit pulſans, illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ.

An eius Parentes ope, & ſubſidio ipſius indigentes deſtituantur.

An fuerit aliquando alterius Religionis; nam huiuſcemodi inconſulta Sede Apoſtolica, & ſine Patrum Diffinitorum conſenſu recipere PP. Regiminis non poſſunt.

Maiores ſexdecim annis non recipiantur, niſi præterea ex ac-

curata

curata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum ſit eos neque aliquorum criminum qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut grauiora reos, vel ſuſpectos exiſtere, vt propterea damnati ſint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum grauatos, vel reddendis rationibus ità obnoxios, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis iam illata, vel timendum ſit ne inferatur. Et quidem ne ij, de quibus in hoc paragrapho cauetur, ad Religionem admittantur, prohibitum eſt Superioribus recipientibus Conſtitutione Sixti V. ſub pœnis vocis actiuæ, & paſſiuæ, nec non & officiorum, graduum, honorum, & dignitatum quarumcumque per eos obtentarum, & inhabilitatis ad illas in perpetuum ipſo facto incurrendis.

Conuerſi non recipiantur, niſi poſtquam in fuluo habitu Commiſſorum, quem ante vigeſimum annum ſuſcipere non poſſunt per ſex annos ſeruiuerint laudabiliter iudicio PP. Regiminis, & niſi ſaltem præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita nouerint, quæ etiam admittendi ad Commiſſorum habitum ſcire teneantur.

Qui ſupraſcriptas conditiones habuerint, recipi poterunt à Patribus Diffinitoribus, vel à PP. Regiminis ſingularum Prouinciarum pro eorum reſpectiuè Prouincia in Clericos, Conuerſos, aut Commiſſos admitti, qui tamen PP. Regiminis non poterunt vltra numerum à PP. Diffinitoribus in Capitulo præſcriptum quemquam recipere.

Recepti ſiue admiſſi tam ad habitum Conuerſorum, quàm Monachorum habitum ſuſcipere, & Nouitiatum peragere tenentur in aliquo infraſcriptorum Monaſteriorum, videlicet, Claræuallis Mediolani, aut Ciſtelli Florentiæ, aliàs tam ipſius habitus ſuſceptio, quàm Nouitiatus, & omnia inde ſecuta nulla ſunt Conſtitutione Clementis VIII. & Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI Papæ VIII. auctoritate confirmata, & Superiores id permittentes pœnas incurrunt ex Conſtitutione taxatas, in præfatis autem Monaſterijs non deputentur, niſi ij Religioſi, qui Nouitijs bono exemplo eſſe poſſint.

Ante

Ante habitus ſuſceptionem opportet ſingulos illorum qui in ordinem Monachorum aſſumendi ſunt per menſem ſaltem in habitu ſæculari in Monaſterio ſub regulari obſeruantia degere in Cella Nouitiorum, & tam iſtos, quàm eos, qui in Conuerſorum numerum ex habitu Commiſſorum ſunt referendi per menſem ante habitus ſuſceptionem à Magiſtro Nouitiorum inſtrui de Regula, quam profeſſuri ſunt tribus votis eſſentialibus, ſtatuq. Regulari, & alijs peculiaribus noſtri Ordinis, & Congregationis Inſtitutis, & Conſtitutionibus.

Nullus poſtquam habitum vt ſupra ſumpſerit, expellatur ſine conſenſu PP. Regiminis, aut Conuentus, in quo fuerit, niſi ob aliqua manifeſta, & enormia ſcandala, & taliter expulſi nunquam amplius recipiantur, & idem ſeruetur, ſi ex ſe receſſerint; Expulſorum tamen honori conſulatur, excuſatioq. aliqua expulſionis prætexatur, ſi eos expelli contingat ob aliquod, quod notam inurat.

Veſtes ſæculares ingredientium non diſtrahantur, niſi poſt emiſſam profeſſionem contrafacientes per PP. Viſitatores grauiter puniantur.

De qualitatibus, officio, & priuilegijs Magiſtri Nouitiorum. Cap. XLIX.

MAgiſter Nouitiorum, eiuſque ſocius, ſi pro Nouitiorum inſtituendorum multitudine neceſſarius fuerit, eligantur in Capitulo Congregationis per triennium ad minùs onus huiuſmodi ſubituri, quod ſi eos, vel eorum aliquem intra triennium mori, vel amoueri contigerit, à Patre Præſide de conſilio, & aſſenſu PP. Regiminis, vel PP. Viſitatorum in Viſitatione alius ſubrogetur. Tam Nouitiorum Magiſter, quàm ſocius ab omnibus officijs, oneribuſque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdotali ordine ſit initiatus, ac ætate ſenior, vel ſaltem in quinto ſupra

trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decemnium à profeſſione emiſſa in Religione verſatus; Socius verò trigeſimũ annum excedat, ſitq. in ſpectantibus ad Nouitiatus Regimen, Magiſtro immediatè ſubiectus. Sint ambo tales, qui ſint apti ad lucrandas animas, atque adeo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudẽtia, charitateq; referti nõ ſine affabilitate graues. zelũ Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione iræ præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueuerunt, quam longiſſimè alieni, & tales demum, qui in omnibus ſe ipſos bonorũ operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ ſubſunt illos non tam metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam poſſint. Cellas in Nouitiatu habeant, in quibus dormiant, & commorentur. Magiſter Nouitiorum claues Nouitiatus habeat, Illiq. ſoli liceat ex graui tantum cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: Si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur. Habeat idem plenam, & abſolutam poteſtatem circa Nouitiorum inſtitutionem, ac Nouitiatus regimen, vt in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam Abbate exceptis) quouis colore ſe ingerere liceat, quinimò Abbas circa Nouitios nihil diſponere debet ſine ſcitu Magiſtri, cum quo amanter admodùm agendum eſt. Ipſi ſoli Nouitiorum confeſſiones audiẽdi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum ſemel, aut bis in anno eorumdem Nouitiorum confeſſiones audire.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari diſciplina ſeduló exerceantur, vt agnoſcant præcipuè Diuinæ quã digni facti ſunt vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit, atque perfecta votorum ſolemnium, & quam neceſſaria cuiuſque Ordinis Conſtitutionũ obſeruantia, modum in Oratione

tum

tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona eſt, atque procliuis) per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, ieiunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat per aperitionem quotidianam motuum internorũ cordis, & tentationum manifeſtationem per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumq. ſilentium. Prædicet denique ijs omnia dura, & aſpera, per quæ itur ad Deum; Regulam Diui P. N. Benedicti, & Ordinis, ſiue Congregationis noſtræ obſeruantias ter ſaltem intra annum Nouitiatus eis legat, & clarè, planèq. interpretetur temporum periodis in ſequenti Cap. 50. præfigendis, exercitationes corporales, & modeſtas animi recreationes eis prouideat.

Magiſter ſicut ſupra electus locum teneat ſupra cæteros omnes Sacerdotes poſt Priores, Viſitatores, & Lectores Collegiorum, & tempus exercitij huius officij ſuffragetur ad effectum habilitatis ad Prælaturam non ſecus ac tempus exercitij officiorum Prioris, & Cellerarij.

De Nouitiorum inſtitutione, & educatione, Cap. L.

STatim atque Nouitij ad habitum recepti fuerint per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent, deinde bis ſaltem ſingulis menſibus Magiſtro Nouitiorum peccata ſacramentaliter confiteantur. Bis quotidie Orationi mentali incumbat vnuſquiſque ſecundum propriam capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam vnuſquiſque examinare contendat. Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro nocturnis, diurniſq. officijs aſſiſtant,

Cætera iuxta Magiſtri inſtitutionem, de qua in præcedenti Capite §. Curam adhibeat, peragant; Regulam Diui Patris Noſtri Benedicti, & eius claram, planamq. interpretationem vnà cum obſeruantijs Ordinis, & Congregationis noſtræ à Magiſtro Nouitiorum ter in anno Nouitiatus audiant videlicet ſemel ſpatio duorum menſium, poſt quos dicatur eis, Ecce lex, ſub qua militare vultis ſi poteſtis obſeruare per profeſſionem ingredimini Religionem, ſi verò non poteſtis, liberi diſcedite. Si ſteterint, & perſeuerare voluerint ſpatio ſex ſubſequentium menſium relegantur eis, & fuſius adhuc explicentur Regula, & obſeruantiæ, vt ſciant quid promiſſuri, & impleturi ſint, & ſi adhuc ſtent, & perſeuerent ſpatio ſubſequentium aliorum quatuor menſium, tertiò eadem Regula, & obſeruantiæ eis legantur, & explicentur, vt ſic nonniſi poſt moroſam, maturamq. deliberationem ad profeſſionem accedant. Tribus hiſce temporum periodis ipſi Nouitij Capitulo Conuentus proponantur per ſecreta fabarum ſuffragia approbandi, vel reprobandi. Et quidem ſi approbati fuerint à maiori parte Conuentus in vna periodo ſtare, & perſeuerare ſinentur vſque ad aliam; Si verò reprobati fuerint à maiori parte in prima periodo acriter moniti perſeuerare ſinantur vſque ad ſecundam, vt experimentum fiat, an ex monitione proficiant; Qui verò in ſecunda, aut tertia periodo reprobati vt ſupra fuerint mox expellantur.

In Ceremonijs Ordinis aſſiduè exerceantur, de ritibus plenè inſtruantur, ſigna, quæ pro ſilentio ſeruando in ordine adhibentur, doceantur, Cantũ, quo in Choro vti illos opportet ediſcant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Nouitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatq. ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorentur diſiuncti, atque eo tempore cuiuſque in quam natura feratur propenſionem ſcrutentur.

Ad locum Nouitiatus nemini eiuſdem, vel alterius Ordinis

Regu-

Regulari etiam Conuentus, & Monaſterij Officiali, vllo vnquam tempore ſub quouis prætextu aditus pateat, præterquàm Magiſtro, eiuſq. ſocio, ac etiam Monaſterij, aut Conuentus Superiori ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimauerit quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conuentus, & Monaſterij Patribus ſocium aſſumat.

Non liceat Nouitijs durante Nouitiatus, & probationis tempore vna cum profeſſis niſi in Choro in Eccleſia tempore officiorum in proceſſionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Caueant Abbas, & cæteri Superiores, ne coram Nouitijs reprehendant pro eorum culpis quemquam eorum, qui extra Nouitiatum deficit, ſed nec Magiſtrum, aut eius ſocium; quorum honorem, & authoritatem apud Nouitios tueri neceſſe eſt.

Pro communibus, & proprijs cuiuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt vnus ex Nouitijs ipſis ætate, moribuſq. prouectior deputetur, qui abſente ſocio Magiſtro permittente omnia prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuibus momenti prouiſio intra Nouitiatum committi poterit.

Et hæc quidem pleraque non ſolum in ijs, qui ad Clericatum aſſumendi ſunt, ſed etiam in ijs, qui in Conuerſorum numerum ſunt referendi locum habent, ſed iſti ſeparatim à Clericorum Nouitiatu habendi ſunt ſub eodem Magiſtro Nouitiorum, vel alio ſeniore, cui obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verumetiam pro eorum capacitate, & commoditate de ſpiritualibus præſertim de modo mentaliter orandi diligenter inſtruendi erunt, quod vt commodius fiat ad Capitula, & ſpirituales conciones, quæ per Magiſtros Nouitijs fieri ſolent accerſiri debent, & in Eccleſia ſtatutis horis conueniant, niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint.

Quando,

Quando, & quomodo Nouitij ad profeſsionem admittantur, & eam emittant, Cap. LI.

TEmpore probationis elapſo, qui non ſolum Religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint, & de conſenſu maioris partis Conuentus per ſuffragia ſecreta fabarum tanquam idonei approbati fuerint, dummodo ætatis ſuæ annum quoad Clericos decimum ſextum, quo verò ad Conuerſos vigeſimum primum exceſſerint ad profeſſionem admittantur ſi habita ſecum deliberatione promiſerint ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, ſcientes quod ſub lege Regulæ mox conſtitutis eis ex illa die non licebit egredi è Religione, nec collum excutere de ſub iugo regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare, aut ſuſcipere: Res prius quam profiteantur, ſi quas habent ita diſponi mandat S. P. N. Benedictus vt nihil ſibi reſeruent ex omnibus quippe qui ex illa die nec proprij corporis poteſtatem ſint habituri, atque ita omnia obſtrui, vt nulla ſuſpicio remaneat profeſſuro per quam receptus proprietatis vitio perire poſſit. Atque huius diſpoſitionis, ſiue renunciationis publicum Inſtrumentum à Notario publico confectum ante profeſſionem ſinguli conſignare teneantur Abbati Monaſterij, in quo ſunt profeſſuri in Archiuio Monaſterij conſeruandum.

Qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire etiam durante tempore probationis ne poſſint Conſtitutione Clementis VIII. cautum eſt.

Forma, qua Clerici profiteri debent ea eſt, quæ ad Breuiarij calcem habetur, vbi etiam ritus in ſolemni hac profeſſione ſeruandus deſcribitur.

Conuerſi tamen ſine eo ritu in manibus Prælati ſua vota ſolemnia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ ſecundum Regulam

S. Be-

S. Benedicti emittant. Commiſſi verò ab ingreſſu exacto anno per Inſtrumentum perſeuerantiam vſque ad mortem in Congregatione promittant, pariterq. Monachi eos è Monaſterio non exigentibus demeritis, inconſultoq. Regimine, & Maiore Monachorum Monaſterij, in quo habitauerint parte non conſentiente non expulſuros ſe eis viciſſim polliceantur.

Superiores Monaſteriorum, in quibus ſunt Nouitiatus vltra cartulam profeſſionis vniuſcuiuſque quam petitionem appellat D. P. N. Benedictus in Archiuio ſeruandam, in poſterum etiam librum habeant, in quo Nouitij cuiuſque etiam Conuerſi profeſſio cum nomine eius parentum, & patriæ regiſtretur, illumq. nouiter profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant. Conuerſus verò litterarum ignarus profeſſus in eorumdem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint præſentia, propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerueturq. liber, & cuſtodiatur in Archiuio vbi ſcripturæ ad Monaſterium pertinentes reponi conſueuerunt. Quin & Commiſſorum obligationis, ſeu promiſſionis in quocumque Monaſterio fiat, Inſtrumentum à Notario publico confectum ad Abbatem Claræuallis Mediolani, vel Ciſtelli Florentiæ vniuſcuiuſque ad ſuam Prouinciam reſpectiuè mittatur ſicut ſupra cuſtodiendum.

De Monachis recens profeſsis.
Cap. LII.

CIrca educationem nouiter profeſſorum omninò obſeruetur Conſtitutio Clementis VIII., à cuius obſeruantia nulla cõſuetudo in contrarium, quæ corruptela potius vocanda eſt excuſet, atque adeo poſt profeſſionem emiſſam qui non fuerint ſtatim mittendi ad Collegium, donec ad illud mittantur necnon & reliqui debebunt intra Nouitiatum detineri ſub regulis, & modo viuendi ipſorum Nouitiorum, aut certè ſi opus fuerit tranferri in aliud Monaſterium, in quo profeſſorium cum requiſitis ad Noui-

Nouitiatum iuxta Conſtitutiones Clementis VIII. reperiatur, ibique vſque ad ætatem Sacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magiſtrum præditum eſſe opportet, manere, litterarum ſtudijs operam nauantes ſecundum vniuſcuiuſque capacitatem. Superiores qui contrafecerint pœnas in prædicta Conſtitutione Clementis taxatas incurrent.

Conuerſi, qui per ſex annos Commiſſi non fuerunt ante quintum profeſſionis annum completum deputari non poſſint ad adminiſtrationes extra Monaſteria ad officium Subcellerariatus, aut ad Abbatum ſeruitium particulare, qui ſecus aliquem deputauerit, voce actiua in Capitulo careat.

Qui vocem in Capitulis Monaſteriorum habeant. Cap. LIII.

MOnachi niſi ſint Subdiaconatus ordine inſigniti, quod Tridentinum etiam Concilium ſanxit vocem in Capitulo habere, aut votum ferre non poſſint: Inſtrumentis tamen ad res familiares Monaſteriorum attinentibus intereſſe non prohibentur, vt ſaltem diſcant, qui Contractus in Monaſterio fiant.

Ad Sacros Ordines qui promouendi. Cap. LIV.

SIcuti non omnes homines ſunt ad Monaſticam vitam admittendi ita nec omnes Monachi ad Sacros Ordines. Ea igitur ſit promouendorum ratio, vt ij tantum, qui in Minoribus Ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs, quæ ad ordinem exercendum inſtructi à proprio Abbate inuenti fuerint, & in Cantu Chorali exercitio Cantoris per menſem probati fuerint bonū ante omnia teſti-

101

teſtimonium habentes promoueantur. Nullus niſi poſt triennium ab emiſſa profeſſione ad Sacros Ordines licentietur, qui ſecus fecerit ſit ipſo facto à recepto Ordine ſuſpenſus per triennium integrum. Nemo promoueatur, niſi de conſenſu maioris partis Sacerdotum Conuentus habita etiam prius à Diffinitoribus, vel Regimine reſpectiuè licentia, quæ promotiones tàm à Sacerdotibus cuiuſuis Conuentus, quàm Diffinitoribus, & Regimine, vt præfertur per ſuffragia ſecreta fabarum fiant.

Qui Sacerdotes celebrare permittantur, qui verò ſuſpendi debeant. Cap. LV.

OPtant Diffinitores, vt Sacerdotes Congregationis rem Sacram quàm ſæpiſſimè faciant; nullum enim magis odoriferum ſacrificium Deo Opt. Max. offerri poteſt, quàm id, in quo ipſe eſt ipſa Victima, quod ſi non poterunt quotidie, ſaltem diebus feſtis celebrare non prætermittant, & id vltra hebdomadas ordinarias Miſſarum. Si quis verò diutiùs à celebratione vacarit abſque cauſa legitima Prælato notificanda, acriter caſtigetur, illos verò Sacerdotes, quos Præſidens, & Viſitatores tempore Viſitationis inhabiles repererint à celebratione ſuſpendant; ſic ſuſpenſi in Diſcretos minimè poſſint eligi.

Quot, & qui Confeſſionibus audiendis præficiendi ſint. Cap. LVI.

IN Monaſterijs, in quibus maior eſt numerus Monachorum non deputentur plures, quàm tres Confeſſarij Ordinarij, nec vltra duos in Monaſterijs minoris numeri. Inuigilent autem Prælati, & ſingulis menſibus à Confeſſarijs exquirant quorum, & quàm frequenter confeſſiones audiant, & an pro ſpirituali Reli-

gioſorum directione aliqua re opus ſit, quæ ſine aliqua violatio ne ſigilli aduerti poſſit. Sic autem ad audiendas Confeſſiones deputati, non poſſint ſub quouis prætextu à caſibus per Prælatos reſeruatis quemquam abſoluere, niſi cum eis id fuerit commiſſum, ac conceſſum: ſi quis verò aliquem ab huiuſmodi reſeruatis caſibus ſine licentia abſoluerit, excommunicationem ipſo facto incurrat. Qui pro confeſſionibus ſæcularium audiendis approbati fuerint eas audituri cucullam, & Stolam Sacerdotalem induant.

Qui caſus Prælatis reſeruentur. Cap. LVII.

QVoniam natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, magnopere verò ad Chriſtianam populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à Prælatis dumtaxat abſoluerentur; Ideo Patres Diffinitores declarant infraſcriptorum caſuum abſolutionem nimirum excommunicationis maioris, inobedientiæ cum obſtinatione proterua, proprietatis, furti, contagionis carnis cum ſecunda perſona, egreſſionis clauſuræ ſine licentia, interceptionis, vel aperitionis litterarum Regiminis, vel Prælatorum, ad ipſos Prælatos pertinere, quibus etiam licet alios caſus ſibi reſeruare ad normam decreti fel. rec. Clementis VIII.

Quando Monachi confiteantur, & Euchariſtiæ Sacramentum ſumant. Cap. LVIII.

OMnes Regulares Congregationis perſonæ, quæ non ſunt in Sacerdotio conſtitutæ, vel etiam Sacerdotes inhabiles ad conficiendum, ſemel ſaltem in hebdomada, Sacramentalem pec-

catorum confeſsionem faciãt,& ſingulis quibuſque diebus quindecim Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumant. Quod tamen in Quadrageſima, & Aduentu ſingulis diebus Dominicis ſumere non omittant, Sacerdotes verò rem Sacram facturi ſæpiùs Sacramentaliter peccata ſua confiteantur. Quam quidem Sacramentalem peccatorum confeſsionem ab omnibus, & ſingulis Regularibus perſonis ſaltem ſemel in anno proprijs Prælatis fieri debere, antiquum eſt ab ordine inſtitutum.

Correctionum qui modus.
Cap. LIX.

TAmetſi Prælati nullo modo debent peccata delinquentium diſsimulare, quinimò ea cum primum pullulare cœperint, radicitus extirpare, quod maximè D. Benedictus in Regula admonet, ac præcipit non eo tamen in corrigendis exceſsibus rigore vtantur, vt calamus quaſſatus conteratur. Meminerint igitur ſe, vt D. Bernardus ait eſſe ſubditorum Matres, non Dominos, ſciãtque in correctionibns olio vinum miſcere, nempè miſericordiæ iuſtitiam. Quod ſi qui modum in corrigendo exceſſerint ſubditoſque aliter quam regulari diſciplina percuſſerint per Viſitatores puniantur, ſi autem & ipſi in hoc deliquerint à Capitulo caſtigentur.

Proprietatis vitium à Monachis euitandum.
Cap. LX.

QVàm execrabile, quàmue abhominandum ſit vitium proprietatis in Monachis, qui inter alia etiam paupertatem profitentur, quamuis vnicum illud exemplum. Monachi illius, quem Diuus Gregorius cum duobus aureis iuſsit in ſterquilinio ſepeliri ſatis euidenter demonſtret, ex Diui tamen

Benedicti regula id maximè cognoſcitur, qua cauetur, ne Monachus quicquam omninò proprium habeat ne acũ quidem quippè, qui nec voluntatem ipſam in propria habeat poteſtate, ob id nulli Monachorum liceat quid, quod non permiſerit Prælatus, habere. Quod ſi quis in poſterum priuatas pecunias, vel res quaſlibet, aut apud ſe, aut in creditis, aut in mercatura qualibet etiam ſub alieno titulo poſsidere fuerit repertus, & comprobatus ipſo facto. vltra amiſsionem pecuniarum, vel rerum huiuſmodi, quas præſenti decreto ex nũc, prout ex tunc Monaſterio deuolutas eſſe decernitur, ſit etiam priuatus voce actiua, & paſsiua per ſexennium, atque iuxta regulæ, & antiquas Ordinis Conſtitutiones ſeuerè caſtigetur, atque etiã ſi in tali ſtatu è vita deceſſerit Eccleſiaſtica ſepultura careat; Nec exiſtimet Prælatus, quod ſuper habenda proprietate poſsit cum aliquo Monacho diſpenſare. Huic malo quo faciliùs prouideri poſsit ſint ſolliciti valde Prælati ſæpiùs ſubditorum Cellas inuiſere, ſuppellectilia omnia ſcrutari, & quicquid habebunt ſæpiſsimè recenſere. Quod vt omnia fieri poſsint, habeant Prelati quique Inuentaria, in quibus vniuſcuiuſque ſibi ſubditorum res ſint quàm diligentiſsimè perſcriptæ; quæ quidem Inuentaria ſingulis annis ab ipſis ſubditis innouentur per totum annum conſeruanda apud Abbatem, donec noua cõficiantur; ſicut autem tenentur ſubditi ſingulis annis tradere Prælatis Inuentaria rerum omnium, quas habent penès ſe, & contrafacientes inter proprietarios cenſentur, & pœnis proprietariorum in vtroque foro ſubiacent; ita in poſterum Abbates tempore Viſitationis; Ipſe autem Præſes & Viſitatores tempore Capituli ſub ijſdem pœnis ipſo facto incurrendis teneantur conficere Inuentaria, in quibus cuiuſcumque generis res omninò pecuniæ, & bona, quæ habent, quàm diligentiſsimè perſcripta ſint, eaque Abbates ſupradicti Præſidi, & Viſitatoribus; Præſes autem, & Viſitatores Diffinitoribus aperta, & minimè ſigillata tradere teneantur reponenda, & conſeruanda in Capſa triclaui Congregationis, ſupradicti Viatores autem, & Diffinitores in hac re iuxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini curare debebunt, vt vniuſcuiuſ-

cuiuſque Religioſi ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt; conueniant, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihilque etiam, quod neceſſarium eis denegetur. Idemque curent ſinguli Abbates in ſuis reſpectiuè Monaſterijs. Peculia autem nemini concedantur, nec quiſquam ea habens tutum ſe in conſcientia putet ob quamcunque Superiorum conniuentiam.

Quæ poſsidere, aut tenere non liceat, ſub pœnis exercentium mercaturas. Cap. LXI.

SI Abbas, aut Religioſus priuato nomine equos, iumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoſcumque fructus ex terra prouenientes tenere, poſſidere, aut à Monaſterijs emere, vel in ſolutionem accipere auſus fuerit, is præter ammiſſionem vſus earum rerum omnium, & ſingularum, ſi Prælatus ſit, pœnam contra exercentes mercaturam cap. 25. Conſtitutionum taxatam incurrat: Monachi verò, qui tranſgreſſores reperti fuerint, pœnæ inhabilitatis ad officia omnia, & dignitates ſubiaceant; Conuerſi denique per annum carceri mancipentur, & deinceps ab omni temporali adminiſtratione arceantur. Ad effectum verò probandi quempiam priuato nomine aliqua prædictorum tenuiſſe, aut poſſediſſe, ſufficiat probare, quod à die emptionis, adeptionis, aut captæ poſſeſſionis, ſeu tentionis eorum in libris Monaſterij ſcripta non fuerint.

Pecuniæ Monaſteriorum vt cuſtodiendæ, & adminiſtrandæ. Cap. LXII.

NEmini Prælatorum liceat pecunias Monaſteriorũ exigere, aut erogare, aut eas quouis modo contractare, neque item in rebus Monaſteriorum diuendẽdis, aut neceſſarijs comparandis per ſe ipſos ſe immiſcere, ſed eã omnia per Cellerarios, aut alios

conſue-

conſuetos miniſtros fiant, qui tamen Cellerarij, & miniſtri teneantur in huiuſmodi rebus peragendis ſuorum Prælatorum præceptis obedire, nec quicquam, niſi eodem Prælato iubente, & mandante exequi poſſint: pecuniæ autem à Capſerio ad id munus ſpecialiter deputato cuſtodiantur in capſa triclaui, quæ in ſingulis Monaſterijs habeatur in cubiculo Abbatis, earumque clauium vnam retineat Abbas Monaſterij, aliam Capſerius, tertiam Cellerarius, per quem Cellerarium, ſeu alios miniſtros ad quos ſpectat vt ſupra, tam eleemoſynæ, quàm munuſcula ſi quæ dari licuerit, dentur, de Prælatorum tamen mandato, aut licentia, ac ſeruata forma Conſtitutionis Clementis VIII. de largit. mun. ſemperq. rei, quæ datur, qualitas, quantitas, & ſi fieri poſſit, etiam nomina eorum, quibus dantur, aut per quos tranſmittuntur, in libro dati, & accepti fideliter ſcribantur. Quod ſi Abbates prædicta, aut aliqua eorum per ſe ipſos, & non adhibitis miniſtris facere auſi fuerint, tunc in eos tanquam fraudis, & parum ſinceræ adminiſtrationis ſuſpectos tam Capitulum, quàm Viſitatores, & Regimen procedant.

Duos in ſingulis Monaſterijs eligendos, qui redditu͠um adminiſtrationem viſitent. Cap. LXIII.

VT Monaſteriorum ſubſtantia tanquam Chriſti Domini noſtri patrimonium benè, ac fideliter adminiſtretur in quolibet Congregationis Monaſterio per totum menſem Iulij eligantur per ſuffragia fabarum bini Sacerdotes, qui ſubducendarum rationum artem calleant. Horum munus erit vnà cum Abbate, & Priore ſingulis menſibus reuidere computa tam Cellerarij, quàm aliorum omnium miniſtrorum, qui ſubſtantiam Monaſterij miniſtrant; Singuli autem eorũ omnibus menſibus ſupradicta cõputa ſubſcribant, quod ſi Abbas facere neglexerit de mala adminiſtratione ſuſpectus cenſeatur, ità vt aduerſus eum procedi poſſit.

Libri

Libri Magiſtrales quo pacto conficiendi. Cap. LXIV.

IN vnoquoque Congregationis Monaſterio libri magiſtrales rerum temporalium adminiſtrationis in ſingulos annos conficiantur; ac per totam hebdomadam Dominicæ Reſurrectionis ſaltem abſoluantur, ac vt vulgò dicitur ſaldentur, Abbates, qui id neglexerint in proximo futuro Capitulo voce actiua tantum priuati exiſtant. Cellerarij verò, quorum culpa id euenerit in vtriuſque vocis vſque ad proximè ſequens Capitulum incluſiuè ſe priuationem ipſo facto nouerint incidiſſe, quibus etiam Cellerarijs ſub eadem pœna ipſo facto incurrenda dictos libros abſque licentia Regiminis in ſcriptis obtinenda ſcribere, vel conficere non liceat.

De Litteris miſsiuis, Cap. LXV.

AD ea, quæ D.P.N. Benedictus Regulæ cap. 54. præſcribit adijciendum eſt, vt nullus litteras concernentes negotia Religionis Monaſteriorum, ſeu aliorum quorumcumque Religioſorum præter propria dare præſumat, quas prius ſuus reſpectiuè Prælatus, aut eius Vicarius non ſubſcripſerit, quod ſi aliquis inobediens repertus fuerit eo ipſo pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ vſque ad futurum Capitulum incurrat. At nullatenus in dictam pœnam incurrit is, qui ad Eminentiſſimum Protectorem, ad Reuerendiſſimum Præſidem, aut Regimen litteras eiuſmodi ſcripſerit, aut dederit.

Scripturæ autenticæ, & Priuilegia Congregationis quomodo conſeruentur. Cap. LXVI.

NE Iura Congregationis, quæ ſcripturis innituntur aliquid damni ob earumdem ſcripturarum iacturam patiantur, ſancitum eſt, quod Priuilegia, Immunitates, Inſtrumenta, ſcripturæue omnes autenticæ Congregationis in Monaſteria S. Ambroſij maioris Mediolani, & Ciſtelli Florentiæ reſpectiuè conſerantur, ibique ſub Abbatis, ac alterius Cuſtodis ad id electi cura, omni diligentia ſeruentur, ſi quis huiuſmodi autentica ſcripta inde aſportauerit, vel cuiquam extra commodarit abſque licentia Regiminis ſit vtraque voce per triennium priuatus, ſi fuerit Abbas voce actiua tantum vſque ad immediatè ſequens Capitulum incluſiuè priuatus cenſeatur, quod de originalibus Prothocollis, & autenticis ſcripturis tantum dictum ſit; nam horum transſumpta & in Monaſterijs quibuſuis eſſe iubentur, & cæteris etiamſi opportuerit accommodari non prohibentur.

Procuratores in Curia Romana qui ſint. Cap. LXVII.

DEclarant Diffinitores in Curia Romana Procuratores Abbatem S. Crucis in Hieruſalem pro Prouincia Lombardiæ, & pro Tuſcia Abbatem Trium Fontium, ſiue S. Anaſtaſij. Poterunt tamen alios etiam ad hoc munus, ſi eis placuerit, deputare, & ſic deputatis concedere, vt ad Capitulum ſicut Prælati cum voce actiua, & paſſiua accedere poſſint.

Prælatus in Vrbe quomodo alterius Prælati Monachis vtatur. Cap. LXVIII.

QVamquam Prælatis Monaſteriorum in Vrbe exiſtentium ius in alterius Monachos non concedatur, vt tamen honorificentiores fiant Eccleſiarum dictorum locorum ſolemnitates eorum ſinguli, Eccleſiæ vbi dies ſolemnis agitur tot è Monachis ſuis, quot opus fuerit, commodent. In Proceſſionibus verò ſi quas fieri contigerit ſimul omnes ſub vno ſigno, in quo ſanctæ Crucis, & Trium Fontium inſignia ſint procedant. Nulli prætera Monachi, vel Conuerſi in dictis Monaſterijs inuiti vltra triennium deputari poſsint. Quo quidem Priuilegio gaudeant etiam qui in Monaſterio Diui Thomæ Torcellarum, ac S. Mariæ ab Angelo Fauentiæ erunt.

Ad Romanam Curiam acceſſus quibus, & quomodo concedatur. Cap. LXIX.

QVi ſquis Romam accedere ſine PP. Diffinitorum, aut Regiminis, vel ſanè Eminentiſſimi D. Protectoris licentia in ſcriptis, auſus fuerit, is Conſtitutione Clementis VIII. voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, eamdemque pœnam incurrant qui ſupradictos admiſerint, & receperint, quæ pœna Summo Pontifici reſeruata eſt interdicta omninò noſtris quibuſcumque Superioribus, immò etiam ipſi Eminentiſſimo D. Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Quoniam verò Clemens VIII. vult huius legis tranſgreſſores alijs etiam arbitrio Superiorum pœnis affici, ideo hac Conſtitutione additur, vt Prælatus tranſgreſſor ab officio, & dignitate ipſo facto ſuſpenſionem incurrat vſque ad futurum Capitulum incluſiuè. Si verò non fuerit Prælatus ipſo facto in numero fugitiuorum habeatur,

beatur, & alijs etiam pœnis, prout Regimen iudicauerit plectatur. Solus P. Præſidens nulla obtenta, aut petita licentia, ſed tantum notificato receſſu ſuo Regimini, Romam accedere poterit. Qui verò cum ſufficienti licentia Romam fuerint acceſſuri, iurabunt de non impetrando aliquid contra Ordinis libertatem, vel Inſtituta, ſi eos ita iurare Diffinitoribus, vel Regimini expedire videbitur. Omnes etiam Abbates Romam accedentes ſuberunt Procuratoribus ſuarum Prouinciarum reſpectiuè, qui contra eos, ſi deliquerint, poterunt proceſſus inſtruere, ſententias ferre, & quibuſcumque pœnis ad præſcriptum legum punire.

Impetrantes litteras contra Congregationis inſtituta qua pœna puniendi. Cap. LXX.

QVicumque eo temeritatis deuenerit, vt ſine licentia Diffinitorum, vel Regiminis, Priuilegia, Indulgentias, Mandata, vel litteras quaſcumque contra, vel præter Congregationis Inſtituta impetrarit, etiam ad ſui particularem fauorẽ, vel vtilitatem, vel quoquo modo impetrata retinuerit, vel eis vti auſus fuerit excommunicationis ſententiam, nec non Abbatiæ, & officij ſi alterutrũ habuerit ipſo facto priuationẽ incurrat, ſi priuatus in Carcerẽ quãdiù Regimini viſum fuerit vtraq; voce per triennium cariturus trudatur, quibus pœnis non actores tantum, ſed & fautores, & conſcij ſubijciantur, quin etiam qui litteras ad quemcumque in Romana Curia, præterquam ad Eminentiſsimũ Protectorem, dederit, quibus aliquod detrimentum, incommodumuè Congregationi, vel eius Inſtitutis oriri poſsit, vel impetratio aliqua de quibus ſupra procuretur; hi Prælati ſi fuerint voce actiua, ſi verò ſimplices Monachi vtraq; voce per triennium careant, Reliqui vocem non habentes ſi in præmiſsis deliquerint Carceri ad arbitrium Diffinitorum; vel Regiminis mancipentur, & nihilominus ſi quis aliquibus cõtra formam huius Capitis impe-

petratis, vti voluerit, is non niſi Conſulta Sede Apoſtolica admittatur.

Pecuniæ pro quindennio, ſeu annata quomodo reponendæ. Cap. LXXI.

REponant Prælati, vel Cellerarij ſingulorum Monaſteriorum quotannis pro quindennio ſui Monaſterij ſoluendo ratam partem pecuniarum, quæ pro annata, ſeu quindennio ſoluuntur in arca proprij Monaſterij, aut in aliquo loco tuto, vnde fructus percipiantur, & ſors principalis ſuo tempore recuperari poſſit, & ſic repoſitas ſucceſſoribus ſemper conſignent. Prælati, qui id neglexerint in ſequenti proximè Capitulo voce actiua ſint priuati, & ſuſpenſionem ab officio ipſo facto incurrant: Cellerarij vero vtraque voce per triennium careant, ita quod nec Cellerarij ad Diſcretorum, nec Prælati ad Diffinitorum electionem admittantur, ac proinde deferant Prælati ad Capitulum litteras à duobus, vel tribus Monachis ſibi ſubditis de huiuſmodi pecunijs ſic vt ſupra repoſitis fidem facientes, aut certè publicum Inſtrumentum depoſiti in loco tuto vt ſupra: Pecuniæ autem ſic vt ſupra repoſitæ non poterunt quacumque etiam neceſsitate vrgente diſtrahi, aut expendi, qui contrafecerint ſiue Prælati, ſiue Cellerarij pœnas ſupraſcriptas incurrant, quod ſi poſt diſceſſum Prælati ad Capitulum illas, aut earum partem quis diſtrahere, aut expendere auſus fuerit, is præterea ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat.

Pro quindennio Monaſterij ſeptimi reponat, vt ſupra Abbas Monaſterij Boniſolatij ſingulis annis ſcuta centum, quæ ſi non repoſuerit, is, & non Abbas ſeptimi incidat in pœnas huius Conſtitutionis.

Pecuniæ communes ſingularum Prouinciarum quomodo cuſtodiendæ, & erogandæ. Cap. LXXII.

VNiuerſæ pecuniæ communes ad ſingulas Prouincias pertinentes habeantur repoſitæ, & cuſtoditæ in Capſa triclaui, quæ retineatur clauſa tribus clauibus, quarum vnâ remanere debeat penès Caput Regiminis, altera penès Viſitatorem maiorē, tertia penès Capſerium, quo munere fungi debeat vnus ex Abbatibus titularibus, qui pro Prouincia Lombardiæ teneatur reſidere in Monaſterio Sancti Ambroſij, iſque eligi debeat per Capitulum, dictuſque Capſerius retineat libros introitus, & exitus, in quibus omnia diſtinctè, & ordinatè adnotata appareant, nec aliquid omninò erogare, aut ſoluere poſſit alicui perſonæ abſque mandato Regiminis in ſcriptis, ſi ſine prædicto mandato quicquã erogauerit, aut ſoluerit, priuationem Prælaturæ incurrat.

Supradicta autem computa, & mandata omnia ſingulis triennijs ante Capitulum diligenter reuideri debeant pro Prouincia Lombardiæ per Abbates Sancti Stephani de Cornu, & Aquæ frigidæ, & pro Prouincia Tuſciæ à duobus Prælatis, qui non ſint de Regimine deputandis per Capitulum, qui accuratam, & plenam relationem prædictorum omnium teneantur facere in Capitulo.

Bona, ſeu poſſeſsiones Monaſteriorum ante tempus non locentur. Cap. LXXIII.

VT annui redditus Monaſteriorum Prælatis reſpectiuè ſufficiant, neque cuiuſquam auiditas ſucceſſoribus obſit, caueat eorum vnuſquiſque, ne bona, ſeu poſſeſſiones, quæ locationis præſcriptum tempus non compleuerint, denuò locet. Quod tamen

men liceat ſi biennium tantum ad finem locationis interſit, ſed çum magno pretij augumento, & non aliter; In emphyteuſim verò perpetuam nullus inconſulto Regimine bona tradere, aut ea permutare, ſiue Contractum, vel diſtractum de eis facere, aut anticipatas ſolutiones, ſeu ſubuentiones accipere audeat, ſed prius licentiam à Regimine obtineat, ac etiam à Sancta Sede Apoſtolica, niſi de rebus minimis agatur. Qui ſecus in præmiſſis fecerit in proximè futuro Capitulo in electione Scrutatorum, ac Diffinitorum ſi Prælatus ſit voce actiua tantum, reliqui verò vtraque careant, eadem pœna illis conſtituitur, qui immaturas pecunias ſuis ſucceſſoribus debitas ſine Regiminis in ſcriptis licentia, & maioris partis ſui Conuentus conſenſu alicui Creditori aſſignauerit, ſeu debitum aliquod Monaſterio ad Capitulum accedens reliquerit; Studeat tamen vnuſquiſque debita iam facta ſoluere vltra id, quod reperierit.

Aedificia quomodo conſtruenda. Cap. LXXIV.

SOlent perſœpe multi dum aliquod ædificium erigentes non Peritorum iudicio, ſed ſuæ voluntati ſeruiunt non mediocrem pecuniarum iacturam facere, id ne inpoſterum quandoque eueniat, caueat Prælatus quiſque ne inſigne aliquod ædificium incipiat, ni prius & licentiam à Regimine obtinuerit, & peritum Architectum conſuluerit, qui ſecus fecerit ab officio, & dignitate vſque ad ſequens Capitulum incluſiuè ipſo facto ſit ſuſpenſus; Cœpti verò ædificij exemplar, ſeu modellus ſeruetur, nec ab eo cuiquam etiam ſucceſſorum deuiare, ac diſcedere liceat, quod de inſigni ædificio dicitur, illudmet etiam de quolibet aut erigendo, aut reparando intelligatur, in quo ſumptus centum aureorum ſummam excedat, quod nulli Prælatorum, licentia non obtenta liceat, qui auſus fuerit aliter feciſſe, pœnis, de quibus ſupra ſubdatur.

Mona-

Monachi quomodo voce priuentur, aut vocem non habere declarentur. Cap. LXXV.

CVm ſœpius in ſuperioribus decretis de pœna priuationis vocis mentio facta ſit, cumque accuſationibus in iudicia deferendis certi fines, certaq. tempora præſcribenda eſſe videantur, ne accuſatorum inſidijs, aut temporum anguſtijs, quæ perſœpe Canonicis purgationibus impedimento eſſe ſolent Rei circũueniantur, Curet Prælatus quiſque eo anno, quo Capitula Generalia habebuntur prima die Dominica Quadrageſimæ Conuentui edicere, ac intimare, vt ſi quis ſciuerit aliquem ab inde retro pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ incurriſſe, vel voce gaudere non poſſe ex quacunque cauſa, velit eum intra ſex dies proximè futuros accuſare, aut notificare, qui ſic accuſatus, aut detectus poſſit vſque ad diem Dominicam de Paſſione ſibi obiecta crimina, vel defectus refellere, ſeque de his purgare, & defendere, & Prælatus teneatur confeſſos, vel iuridica probatione conuictos denunciare, ac declarare, poſt quem terminum nullus ſit de criminibus ante hac commiſſis, aut delationi, aut patrocinio locus ad effectum priuandi quemquam voce pro Capitulo proximè futuro. Quod ſi quis à dicta prima die Dominica Quadrageſimæ vſque ad electionem Diſcretorum aliquod indignum facinus patrarit propter quod voce priuandus veniat quotidie vſque ad dictum tempus poſſit accuſari, & conuinci, ac ſic conuictus, vel confeſſus condemnari, ac publicari; Accuſationum verò ea ſit ratio, quam etiam leges communes ferunt, nempe vt accuſator delatum crimen ſufficienti, ac iuridica probatione muniat, quod ſi in probatione defecerit, temeritatis, & calumniæ pœnas talione luat. Accuſator verò huiuſmodi non habens vocem, ſi in probatione defecerit coram Conuentu irremiſſibiliter diſciplinam accipiat, & per ſex menſes carceri mancipetur; Priuati verò voce huiuſmodi tantummodo ab electione Diſcretorũ arcean-

arceantur. Idem dicitur de Prælatis, vt ſi quis contra Prælatum aliquam querelam habuerit, eam inter terminum vt ſupra deſcriptum ad Tribunal Regiminis reſpectiuè afferat, & ſimiliter procedatur.

Iudiciales actus inter Monachos quomodo fiant. Cap. LXXVI.

QVoniam iudiciorum ratio fert, vt ſępius actus huiuſcemodi nempe Proteſtationes, Præcepta, Contradictiones, Teſtimonia, & huiuſmodi reliqua inter Congregationis perſonas fiant, caueat vnuſquiſque ne in hiſce rebus, ſeu alijs ſcripturis ad hoc pertinentibus, Notarijs, vel Cauſidicis ſœcularibus vtatur, qui ſecus fecerit pœnam carceris per ſex menſes incurrat, & ſit vtraque voce per triennium priuatus; Prælati qui hac in re peccarint à dignitatibus ad arbitrium Regiminis ſuſpendantur, Cellerarij, alijuè Officiarij vltra pœnam priuationis prædictam etiam officijs ſint ipſo facto abdicati. Nec ad delationem cuiuſuis contra aliquam Congregationis perſonam procedatur, niſi accuſator plenè obiectum, ac delatum crimen probarit. Quod ſi in probatione defecerit pœnam ſubeat tallionis. Nulli etiam in quibuſcumque controuerſijs inter Congregationis perſonas vertentibus ad alios, quàm ad proprios Prælatos, & Diffinitorũ, vel Regiminis Patres, & Viſitatores recurrere liceat, qui aliter fecerint prædictas priuationis, vel ſuſpenſionis pœnas ſubſtineant. Si qui verò ſubditi ad impediendas Ordinis obſeruantias, & tuenda ſibi obiecta crimina confugerint ad Iudices, & Principes ſœculares ſiue alias perſonas ſuper Ordinem non habentes iuriſdictionem carceri per annum integrum tradantur, & perpetuò voce vtraque careant, cum Prælatis in id incidentibus priuatio Prælaturæ à Sanctiſſimo Pontifice ſit indicta.

Fugitiui

Fugitiui qui, & quomodo recipiendi. Cap. LXXVII.

NOn liceat alicui Congregationis profeſſo, quippè cui in ea occaſione, qua vocatus eſt manere neceſſe ſit, ſeipſum ab obedientia proprij Prælati eximere, ſeptaq; Monaſterij licentia à Superiore non obtenta egredi, hunc nullus prætextus nulla cauſa non Præſidem conueniendi nō Regimen, vel alium quemlibet Superiorem adeundi excuſet, qui ſecus auſus fuerit ex nunc prout ex tunc fugitiuus habeatur, & rediens ante omnia in carcerem per annum pœnas perpetrati criminis daturus trudatur; nec inde niſi aut à Regimine, aut à Diffinitoribus, vt præfertur educatur; Egreſſus è carcere ſit in ordine omnium poſtremus, ità vt dies eius regreſſus reputetur pro die prima ſui Nouitiatus, quin etiam voce actiua, & paſſiua quoad vixerit cum in electione Diſcretorum, tum etiam in ſcrutinio ad ſacros Ordines mittendorum, Nouitiorum, nec non & reuiſorum computorum, nuſquam potiatur, ad alios actus ſi Prælato viſum fuerit admittatur; Ne verò tam graues pœnas ſubeant hi, qui non proteruitate obſtinata, ſed quadam leuitate abſque Superiorum licentia Monaſterium exeunt. Declarant Diffinitores eum minimè in fugitiuorum numerum aſcribendum, qui naturalis diei terminum hoc eſt horas quatuor & viginti extrà proprium Monaſterium nón conſumpſerit eum excommunicationis tamen ſententiam necnon & vtriuſque vocis priuationem per triennium integrum ſe ipſo facto incurriſſe ſciat, non habens vocem id genus criminis reus conuictus accepta in Conuentu publicè vna diſciplina tres menſes continuos Clauſtra Monaſterij non exeat; Qui fugitiuo ſcienter ſe ſocium, in allocutione, & in negotijs quibuslibet præbuerit ſine licentia ſui Superioris, is vltra excommunicationem, quam ipſo facto incurrit, Monaſterij Clauſtra per ſex menſes nō exeat. Et quoniam fugitiuorum multi tam perfricatæ frontis, tantæque impu-

impudentiæ eſſe ſolent, vt eos per Vrbes cum flagitioſiſſimis quibuſcumque in ſcandalum omnium vagari non pudeat, curent quàm diligentiſſimè Prælati, in quorum Diœceſibus huiuſmodi perditi homines fuerint, vt per vim capiantur, ac in carceres grauiſſimè affligendi conijciantur, ſumptus verò, quos hiſce caſibus fieri contigerit per Monaſteria Prouinciarum reſpectiuè, vnde aufugerint perſoluantur: Conuerſi autem, qui impoſterum apoſtatauerint, aut fugerint vt ſupra non recipiantur niſi in habitu Commiſſorum, nec poſſit Præſes etiam de conſenſu Regiminis, aut Viſitatorum ſuper hoc diſpenſare.

Carceres in omnibus Monaſterijs conſtituendos. Cap. LXXVIII.

VT in vnoquoque Congregationis Monaſterio faciliùs poſſint improborum hominum petulantia, ac temeritas coerceri, qui ſuæ profeſsionis obliti Deum poſt terga habentes, flagitia perpetrare non verentur, curent Prælati, vt vbi Carceres nõ exiſtunt, quamprimum conſtruantur, qui id neglexerint, puniantur per Viſitatores.

Carceribus detentos ab omnibus euitandos. Cap. LXXIX.

QVicumque Congregationis Religioſus fuerit carceri incluſus ab omni aliorum comertio, ac conſuetudine ita ſit ſeiunctus, ac ſequeſtratus, vt eum nemo aut verbo, aut ſcripto alloquatur; Si quis non habita à Superiore licentia huiuſmodi eum verbo, vel ſcripto alloqui, aut ei cibum afferre, vel mittere auſus fuerit excommunicationis pœnam incurrat, & vapulet publica diſciplina.

Alienæ famæ detrahentes qua pœna plectendi. Cap. LXXX.

NEmo verbo, vel ſcripto aliquid proferat, ex quo aliquod famæ vel communi, vel particulari damnum oriri poſſit. Prælatus qui hoc auſus fuerit pro qualibet vice per menſem integrum à dignitate ſuſpendatur. Reliqui in id criminis incidentes pro qualibet vice per tres menſes continuos Clauſtra Monaſterij non exeant. Porrò Viſitatores quoties ſuum viſitandi munus obibunt in huiuſcemodi diligenter animaduertant, & ſimiliter ſinguli Prælati in ſibi ſubditos.

Quod vnum Regimen alterius Regiminis ſententias, aut acta non retractet. Cap. LXXXI.

NOn liceat Regimini ſententias, iudicia, leges, aut decreta alterius Regiminis, quod in præcedenti triennio ſedit, abrogare, vel retractare. Quod ſi quid diuerſum iudicium poſtulare videatur, id ad Diffinitores futuri Capituli tanquam ad ſupremum Magiſtratum deferatur.

Quibus poenis rebelles, diſcoli, ac percutientes coerceantur. Cap. LXXXII.

SI quis ex Monachis, vel Cōuerſis Cōgregationis proprio Prælato contumax, rebellis, ac proteruus extiterit, vel ſæculariū aliquos in ſui fauorem, vel auxilium contra obedientiam proprij Superioris implorauerit, is vti nulla indulgentia, aut commiſeratione dignus ſit ipſo facto voce actiua, & paſſiua priuatus per decennium,

cemnium,qui in Laicum ſuadente diabolo manus violentas iniecerit vtraque per triennium careat, ſi perſonam Eccleſiaſticam percuſſerit vltra pœnam excommunicationis, quam iuxtà canonicas ſanctiones ipſo facto incurrit etiam vtraque voce triennio priuatus in carcerem ad arbitrium Regiminis intrudatur non habentes vocem in præmiſſis delinquentes publicè in Conuentu flagellentur,ac in carcerem conijciantur ad arbitrium vt ſupra. Qui vultu, verbis, aut manibus alicui minatus fuerit pro qualibet vice publica diſciplina plectatur, ſi arma arripuerit, quamuis non iaceat carceri mancipetur ad arbitrium prædicti Regiminis; Si verò percuſſerit armis in carcerem conijciatur, ac alijs pœnis iuxtà delicti grauitatem puniatur. Qui Prælatum aliqua iniuria affecerit pro qualibet vice diſciplinam publicam accipiat. Si verò etiam eidem infamiæ notum obiecerit, vel verba contumelioſa, vel minatoria protulerit in carcerem includatur;de eo ſcelere ſi aliter non conſtet dicto Prælato cum iuramento, & vnico teſte plena fides adhibeatur. Eum namque eſſe veridicum credendum eſt quem Deus Opt. Max. Ouibus ſuis Paſtorem præfecerit. Prælati verò ſi arma pro offendendo quopiam arripuerint, quamuis non offenderint ſuſpendantur ab officio per tempus arbitrio Regiminis.

Impugnantes Religionem, vel Superiores qua pœna caſtigandi. Cap. LXXXIII.

Licet naturæ omninò aduerſetur, vt quis in propriam Matrem arma ferat, quoniam tamen nullum eſt tam immane flagitiũ, quod non poſſit in hominem improbum cadere. Ea propter præſenti decreto ſancitum eſt, vt quicumque tam execrandum, ac abhominabile facinus admiſerit, & Congregationem eiuſq; Conceſſiones, & Indulta Apoſtolica, Ordinationes, & Statuta tam Diffinitorum, quàm Regiminis, vel etiam Viſitatorum tempore

Viſitationis factorũ impugnare, aliter quam iuris Ordine, & Priuilegiorum noſtri Ordinis tenore ſeruato præſumpſerit, vel aliquos alios ad hoc verbo, vel facto induxerit, aut etiam à iuſta correctione proprij Superioris appellauerit, pœna, quæ, in conſpiratores lata eſt per leges puniatur. Quam quidem pœnam nemini præterquam Diffinitoribus, vel Regimini aut tollere, aut minuere liceat.

De Monachis degentibus extra Monaſteria ad curas animarum, vel alia beneficia Eccleſiaſtica. Cap. LXXXIV.

INuigilent Abbates Monaſteriorum, vt Monachi ad Curas animarum, vel alia beneficia Eccleſiaſtica extra Monaſteria degentes pro eorum ſeruitijs perſonis non ſuſpectis vtantur, quod ſi qui perſonas ſuſpectas apud ſe habere depræhenſi fuerint, ſtatim à curis animarum amoueantur; vbi verò Conuerſi ſolent in Curis Animarũ pro ſeruitijs Monachorum haberi, non liceat alio ſeruitio, quàm Conuerſorum vti, ſic autem extra Clauſtra degentibus liceat habere iumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, atque alios fructus ex terra prouenientes ad proprium victum, & ſuſtentationem, ſed ſingulis annis rerũ huiuſmodi notas Abbati ſuo tradere tenebuntur ſub pœnis proprietariorum incurrendis.

Quod nullus Congregationis Religioſus arma cuiuſuis generis teneat, vel ſecum deferat. Cap. LXXXV.

IVxta Conſtitutionem fęl. rec. Clementis Quinti, quæ habetur in Clement. de ſtatu Monachorum cap. Ne in agro, ſtatutũ eſt, quod nullus Monachus, vel Conuerſus Congregationis audeat abſque licẽtia proprij Prælati intra ſepta Monaſterij, vel etiã

extra

extra in quolibet loco reſideat habere arma cuiuſuis generis ſiue offenſiua, ſiue defenſiua, vel etiam extra ſecum deferre, qui ſecus fecerit, ſciat ſe ipſo facto excommunicationis ſententiam incurriſſe, & præterea comprobatus, vel conuictus Carceris vindictam per tres menſes ſubeat.

Mulieres cuiuſuis conditionis, & gradus in Monaſteriorum clauſuras non admittendæ. Cap. LXXXVI.

QVoniam prohibetur à fel. rec. Pio V. & Gregorio XIII. Pōt. Max. Mulieres cuiuſuis conditionis, & gradus intra Clauſtra Monaſteriorum recipi, declarant Diffinitores Clauſtrorum nomine intelligi debere portas Monaſteriorum recta via in dicta loca tendentes, non eas, per quas omnibus aditus patet ad Eccleſias, non liceat etiam huiuſmodi Mulieres admitti in Viridaria Monaſteriorum muris circumdata, præterquàm in Viridario S. Ambroſij Maioris Mediolani die Paraſceues tantum, qui ſecus fecerint ſciant ſeſe in pœnas, ac cenſuras à dictis Summis Pontificibus emanatas ipſo facto incurriſſe, nec aliquo vſu, ſeu conſuetudine in contrarium excuſatum iri.

A Ludis, & venationibus illicitis abſtinendum. Cap. LXXXVII.

A Ludis omnibus, nec non à venationibus per Sacros Canones, & præcipue à Sacroſancta Tridentina Synodo vetitis omnes Congregationis perſonæ prorſus abſtineant, qui in his, vel horum aliquo tranſgreſſus fuerit, ſi Prælatus priuetur voce actiua, ſi alius vtraque voce triennio integro ſit priuatus nō habens vocem, ſi repertus fuerit tranſgreſſor Clauſtrum per annum non exeat.

De

De Collegijs pro litterarum ſtudijs. Cap. LXXXVIII.

HAbeatur in Monaſterio Sanctæ Crucis Romæ Collegium; ad quod decẽ Religioſi profeſſi ex Prouincia Lombardiæ, quatuor ex Prouincia Tuſciæ, ſi tot idonei reperti fuerint, tranſmittantur: Erigi etiam poterit aliud Collegium in Prouincia Lombardiæ, & aliud in Prouincia Tuſciæ, ſi Religioſi ad ſtudia apti plures ſint, quàm numerus pro Collegio Sanctæ Crucis taxatus. Qui Religioſi, ſiue Collegiales antequam ad Collegia mittantur examinandi, & approbandi ſunt ab Examinatoribus per PP. Diffinitores deputandis, & ſic approbati à Collegijs ante abſoluta eorum ſtudia inuiti amoueri non poterunt, niſi cum grauiter in moribus deliquerint, aut ſtudia negligenter valde tractauerint, quibus caſibus è Collegio eijciantur ſeruituri quandiù Sacerdotes non fuerint in vilioribus Monaſteriorum officijs, in quibus Conuerſi ſolent occupari, ſed & ad Sacerdotium promoti inhabiles futuri ád officia, ſeù curam animarum, quæ habilitet in Congregatione obtinenda, niſi poſt trigeſimum quintum eorum ætatis annum. A Collegijs ſimiliter amouebuntur, qui teſtimonio Abbatis, & duorum Lectorum iuramento firmato exiguam proficiendi in re litteraria ſpem de ſe præbuerint. Meminerint autem, qui mittendorum Examinatores, quiuè contra eijciendos, ſeù mouendos teſtimonium, vel iudicium laturi fuerint ſe in tremendo Dei iudicio rationem reddituros ſi priuatis affectibus minus habiles in approbatione prætulerint, aut odio quempiam eiecerint, ſeù amouerint priuãtes Religionem, & ipſos poſthabitos electos, vel amotos inſigni ſtudiorum fructu, qui totam hominis vitam comitatur, nec alio quouis temporali bono compenſari poteſt.

Hæc autem erit Collegiorum litteraria exercitatio.

Singulis diebus (nõ tamen Iouis) præter feruentis Aeſtatis, aut in-

incipientis Autumni menſes, quibus à Lectionibus, non tamen à quotidianis concluſionibus vacabunt, binæ habebũtur lectiones, vnica repetitio, & poſt eam vnum, aut alterum argumentum omnibus Collegialibus per ordinem, & vices, arguentibus, & reſpondentibus, aſſiſtentibus alternatim Lectoribus. Quodque temporis reliquum fuerit in Cellis ſinguli aſſiduè ſtudio vacabunt præter ſemiſſem, aut dodrantem horæ à cœna, & à prandio, quo licebit animis relaxandis indulgere, & id præterea tempus, quod neceſſarium eſt pro officio Diuino ſine cantu perſoluendo, & pro Miſſa Conuentuali ſine cantu ſimiliter celebranda, & denique pro Oratione mentali de mane in Choro per mediam horam, & de ſero poſt Completorium iuxta morem noſtræ Cõgregationis habẽda. Feſtiuis tamen diebus in Choro officium integrè cum cantu, vt in Monaſterijs maioris obſeruantiæ celebrabunt, & per hebdomadam ante Natiuitatem Domini, & totam Maiorẽ liberi à curis ſtudiorum Choro ſolemniter, & priuatim Spiritualibus exercitijs vacabunt.

Singulis præterea hebdomadibus ſemel Cõcluſiones per duas horas habebunt, ad quas Abbas, & Lectores omnes conuenient, & ſimiles habebunt etiam ſingulis menſibus, ad quas poſt primũ ſtudiorum annum aliqui Exteri vocari poterunt.

Prouideat autem Abbas, qui prudentiſſimus, religioſiſſimus, etſi, fieri poſſit in re litteraria exercitatus eſſe debet, vt nouellæ Religionis iſtæ plantationes ita adoleſcãt, vt ſpiritu ſimul & corpore validi ſint, ac proinde diebus non feſtiuis, quibus à ſtudijs vacant corporali exercitio, aut honeſta aliqua animi relaxatione fatigatos per reliquos dies ſubleuet, & victum, aliaque neceſſaria ita ſuppeditet, vt vires corporis foueantur, & augeantur. Multo autem magis inuigilet, ne ſpiritus, & deuotio tepeſcat, neue exercitia Religioſa quæcumque ſtudijs impedimentum non afferant, intermittantur, atque adeò præter ſolitas in Capitulo conciones, ſiue hortationes etiam frequẽtiores tam publicè coram omnibus, quàm priuatim ad ſingulos pro vniuſcuiuſque indigẽtia habeat, & frequenter eos ſuper ijs, quæ ad ſpiritualem, & Religioſam vitam

tam pertinent, examinet, vt ſciat, an proficiant in ea, vel deficiãt, & hos ab accidia expergiſci illos verò perſeuerare, & ad vlteriora tendere hortetur. Pro his omnibus faciendis laboris ſocius Abbati Prior aſſignetur talis, qui habeat omnes conditiones, quæ iuxta Caput 49. requiruntur in Magiſtro Nouitiorum.

De ſumptibus pro alendis Monachis in Collegio Sanctæ Crucis. Cap. LXXXIX.

PRo ſuſtentatione Collegialium in Collegio S. Crucis pro rata prouideat Prouincia Tuſciæ modis pro tempore à Diffinitoribus, vel Regimine præſcribendis. Prouincia autem Lombardiæ perſoluat ex Monaſterio Claræuallis quotannis aureos ducentos, ex Monaſterio Columbæ pariter ducentos, ex Monaſterio S. Martini ducentos, ex Monaſterio Lucedij quinquaginta, ex Monaſterijs Carauagij, Cauæ, Viqueriæ, S. Thomæ Torcellarum, Aquæfrigidæ, & Papiæ ſingulis vigintiquinque aureos, quæ quidem taxæ pro medietate per totum menſem Nouembris, pro altera autem medietate per totum menſem Februarij ſub pœna ſuſpenſionis duratura vſque ad integram ſolutionem per Abbates præfatorum Monaſteriorum perſoluantur capſæ Congregationis, à qua tam Capituli noſtræ Congregationis, quàm ſuprema Summi Pontificis auctoritate ablata fuerunt bona loci de Viono, & eorum adminiſtratio titulo, & ratione Collegij commiſſa Abbati Sanctæ Crucis, ad quem præfato nomine ſpectabit, ita tamen, vt nihil præterea ſiue pro libris Lectorum, ſiue pro Collegij Bibliotheca, ſiue pro ſui Monaſterij ſubuentione ſolita prætendere poſſit ab eadem Capſa Congregationis, quin pro ea ſoluere teneatur quidquid eius nomine debetur Montibus Pio Recuperato, Nouennali, & Religionis primæ Erectionis, nec non & contributiones annuas Capituli generalis Ordinis, & ſalarium ſollicitatoris negotiorum Congregationis, & ſatisfacere expenſis pro litteris Miſſiuis ad ſe directis, pro quibus omnibus, ſicut &

pro

pro penſione Bandini de Nores, olim pecuniæ ex præfata Capſa Romam mittebantur.

De Lectoribus præfatorum Collegiorum. Cap. XC.

IN Lectores Collegiorum nullus eligatur, niſi prius per ſeptem annos in Collegijs Ordinis Philoſophiæ, & Theologiæ operam nauauerit, & poſt abſolutum ſeptemnium per duos adhuc annos ſine alicuius officij non litterarij occupatione in litterarum ſtudijs ſe exercuerit. Sic autem electi à Patribus Diffinitoribus vel Regimine, vel in Viſitatione à lectura amoueri non poterunt, niſi ob demerita; Primum vbique locorum poſt Viſitatores minores locum obtinebunt, & ſingulis annis pro emendis libris viginti ſcuta, qui Theologiam docebunt, quindecim qui Philoſophiam, accipient, & poſt ſeptennium Lecturæ completũ, vel etiam poſt ſeptimum annum inceptum, ſi ob infirmitatem, vel aliud graue impedimentum illum abſoluere nõ poterunt habiles ſint ad Abbatialem dignitatem, & vocem diſcretalem perpetuò in Capitulis habeant, ita tamen vt non ſint vltra duos in ſingulis Prouincijs, qui hoc Priuilegio gaudeant, atque adeò ſi contigerit plures, quàm duos Lecturæ ſeptennium compleuiſſe, tunc vocem in Capitulis duo tantum in ſingulis Prouincijs Lectura antiquiores habeant.

De Litterarum ſtudijs in alijs Monaſterijs. Cap. XCI.

AD decretum Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi ſeſſio quinta de reformatione, capite primo, addendum videtur, vt Prælati Monaſteriorum Sancti Ambroſij Claræuallis, Columbæ, Sancti Martini, Morimundi, Montis amiatæ, Septimi, &

Sancti Bartholomęi Ferrariæ Lectores prouideant Caſuum Conſcientiæ, qui eorum Monachos facili, & breuiſſima quoad fieri poteſt methodo erudiant, & ad ſacras Confeſſiones inſtruant, atque id facere omninò ne negligant. Huic autem Lectioni tribus ad minus in ſingula hebdomada diebus faciendæ iubeant omnes, & ſingulos Monachos præter Lectores, & Collegiales ſi in aliquo præfatorum Monaſteriorum eos eſſe contigerit intereſſe, & eos qui ab ea abſuerint in Refectorio pœnam ſubire omninò mandent, & Abbates qui huiuſmodi conſtitutionem obſeruari non curauerint ſint eò ipſo ſuſpenſi ab eorum officio.

Vt nemo extra Monaſteria ſtudijs operam det, neue quiſpiam lauream Doctoratus, aut eius inſignia ſine licentia aſſumat, aut quidquam typis mandet. Cap. XCII.

NVllus extra Monaſteria aliquam ſcientiam, vel artẽ abſque licentia proprij Prælati, vel Regiminis in ſcriptis obtenta addiſcere audeat. Nemo ad Lauream Doctoratus promoueri ſe facere audeat ſine licentia PP. Diffinitorum, & promoti anulos ne geſtent cum Miſſam celebrant, ne verò alijs loco, vel tempore eos geſtent præſenti Conſtitutione omninò prohibetur, niſi cum contigerit illos intereſſe alicui functioni in Collegio Doctorum.

Sub pœna Carceris priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, alijſq; arbitrarijs pœnis prohibetur, ne vllus quidquam typis mandet, niſi prius obtenta licentia à Patribus Regiminis, neque ab hac Conſtitutione excuſet prætextus imprimendarum defenſionum, aut aliarum ſcripturarum in proprijs cauſis, aut alienis.

Quod

Quod omnes in Refectorio cibum ſumant, nec vllus inconſulto Superiore edat carnes. Cap. XCIII.

DIuus Benedictus in Regula præcepit, vt Menſis Fratrum lectio non deſit, quę Monachos à diuerſis otioſis ſermonibus, ac cogitationibus auertat. Propterea ſtatutum eſt, quod Prælati, vel alij Superiores ceſſante legitima cauſa non permittant ſibi ſubditos alibi, quàm in Refectorio cibum aſſumere, vbi lectio iugiter habeatur. Idque maximè in Monaſterijs, vbi maior Congregatio ad minus duodecim Monachorum fuerit, obſeruetur, qui contrafecerint, grauiter à Viſitatoribus puniantur. Nulli inconſulto Superiore in Monaſterio veſci carnibus liceat, qui ſecus fecerit, edat publicè in pane, & aqua pro qualibet vice.

Habitu, & tonſura quali Monachis vtendum. Cap. XCIV.

NVllus Monachus, vel Conuerſus in poſterum audeat barbam nutrire prominentes in Superiori labro pilos alere, aut aliter, quàm vniformiter, & æquali pectine capillos, aut barbam circumquaque tōdere, relicto pro Monachis in capite eo circulo, quem Monaſticam coronam vocant. Nunquam Monachi cucullam dimittant, quin Scapulare ſtatim aſſumant; ſine alterutro enim eſſe non licet ſine graui peccato, & de nocte dormiant, aut integrè veſtiti, aut cum lanea interula addito breui Scapulari, & cingulo iuxta Priuilegium Gregorij XIV, qui ſecus fecerit, graui diſciplina puniatur. Nemo audeat deferre tunicas in parte anteriori apertas, aut ex alia materia, quàm ex lana conſueta, quod Scotum appellatur confectas, ex qua etiam camiſias conficient; nam lineis, vti vetitum eſt Monachis per Sacros Canones, & In-

firmis ſolum permiſſum, alias pariter inferiores, & breuiores veſtes nonniſi albas ex lana, aut lino ſine flocculis, aut picturis, aut alijs inanibus ornamentis ſimpliciter, & vili pretio conficiant, nihil ſericum ſiue in biretis, ſiue in foderaturis, ſiue in aliqua habitus parte portent, calceos ſubtus talos orbiculatos, aut ad calcaneum eminentes, vel quomodocũque ad ſæcularem pompam, & leuitatem fabricatos ne deferant, Cõuerſi non niſi in ſuperiori parte, pedis apertos, & à crepidis abſtineant. Ijdem tunicas infra talos protenſas, ac ſcapularia pluſquam ferat mos oblunga, ne induant; Omnes ſub ſuperiori tunica aliam veſtem, vel ſaltem trauerſiam laneam albam, quæ genua cooperiat deferant, qui in prædictis, vel aliquo prædictorum fuerint tranſgreſſores ſi ſemel correpti illicò non paruerint quicumque illi ſint non exeant Clauſtrum per ſex menſes alijs etiam pœnis grauioribus contumaces caſtigentur. Vt verò has veſtimentorum leges quiſque diligentiùs obſeruet curá ſit Prælatis in ſuis reſpectiuè Monaſterijs ſæpiùs ſibi ſubditorum Cellas viſitare, eorumque ſuppellectilem diligenter recenſere, & quicquid reperint, quod Monaſticæ diſciplinæ non conueniat omninò auferant, atque inobedientes caſtigent memores ſeſe (quos ſubditorum duces in diſciplinis regularibus eſſe opportet) de his omnibus Deo Optimo Maximo rationem reddituros ſi indormierint, nec non & à Capitulo, vel Viſitatoribus punitum iri ſi huius legis in ſe ipſis æque ac in ſubditis obſeruationem non curauerint.

Quod nullus quicquam extrà Monaſterium teneat. Cap. X C V.

NE Prælati in perſcrutandis ſibi ſubditorum Cellis ſuppellectiliuè recenſenda, quod perſæpe fieri vtile admodum erit, defraudentur, ſtatutum eſt; quod nullus Monachus, vel Conuerſus Congregationis audeat tenere veſtes, libros, vel alia quæcumque extrà Monaſterium, quod ſi quis tranſgreſſor depre-

henſus

henſus fuerit, rebus ipſis, quæcumque illæ fuerint, careat, atque priuetur, nec non & per annum integrum qualibet ſexta Feria ieiunio panis, & aquæ affligatur, In Prælatos verò negligentes ſeuerè Viſitatores animaduertant.

De Veſtiario Monachorum.

Cap. XCVI.

DIuidebant Apoſtoli, vt eorum acta teſtantur, vnicuique de rebus ad victum, & veſtitum pertinētibus, prout cuiuſque neceſſitas expoſcebat, id etiam inter Monachos ſeruari Diuus Benedictus iubet, quoniam tamen alia tempora, alias leges, aliaſuè viuendi normas aliquando expoſtulant compertum habentes PP. Diffinitores id à multis in vitium deduci operepretium duxerunt modum quemdam ſumptuum vnicuique in veſtibus ſtatuere. Condixerunt ergo in primis, vt in veſtiendis ſingulis Prælatis, quorum nomine etiam Abbates titulares veniunt quinque & viginti aurei quotannis expendantur, Abbates verò non reſidentes in eorum proprio Monaſterio etiam dicti Abbates titulares ex ære communi Congregationis quotannis veſtiarium recipiant. In veſtiendis verò Prioribus Clauſtralibus, ſecundis Viſitatoribus, ac Cellerarijs aurei decem, & ſeptem in ſingulos pariter quotannis expendantur, Monachorum reliqui ſi Sacerdotes fuerint quatuordecim, ſi non Sacerdotes duodecim aureorum ſumptu contenti ſint; Conuerſis verò decem aureorum ſumma ſit ſatis, ita vt munera, manciæ, ſeù benedichæ nuncupata dare omninò prohibitum cenſeatur. Quæ quidem veſtimentorum impenſæ per totum menſem Februarij quolibet anno fiant; Prælati ſi tēpus diſtulerint per Regimen à dignitate vſque ad ſatisfactionem ſuſpendantur. Præterea caueant Cellerariorum quique ne pecunias alicui etiam ad comparandas veſtes huiuſmodi ſine licentia proprij Prælati tradant, qui aliter fecerint, voce actiua, & paſſiua toto triennio priuati exiſtant, eadem pœna his ſit, qui

datas

datas acceperint, ſi fuerint vocales, ſi verò non fuerint vocales Clauſtra per totum triennium non exeant. Singuli Prælati deferant ad Capitulum teſtimonium à ſingulis Monachis,& Conuerſis ſubſcriptum de Veſtiarijs perſolutis, qui non detulerint, declarentur ipſo facto à dignitate ſuſpenſi, atque adeò ad electiones non admittantur.

Mutuare, largiri, permutare, ac vendere ſine licentia Monachis prohibitum. Cap. XCVII.

AD Conſtitutionem Clementis VIII. de largitione munerum Regularibus interdicta ad calcem Conſtitutionum appoſitam adijciendum eſt, vt Monachi, vel Conuerſi Congregationis nec cuiquam extrà Monaſterium neque ſibi inuicem pecunias, veſtes, libros, vel alia quæcumque mutuare, vendere, vel permutare abſque licentia proprij Prælati poſſint; Si quis iſtius decreti tranſgreſſor deprehenſus fuerit, is vltra ammiſſionem pecuniarum,vel rerum huiuſmodi mutuatarum,permutatarum, vel venditarum, quæ ex nunc,prout ex tunc ſacrario applicatæ decernunt etiam alijs pœnis prout Superiori viſum fuerit puniatur.

Quæ reuerentia Sacerdotibus habenda. Cap. XCVIII.

CVm Superiorum oculi nequeant quocunque proſpicere, ſitq. de Iure Diuino vnicuique mandatum de proximo ſuo liceat quibuslibet Sacerdotibus Congregationis, quos tamen zelus Domus Domini comederit quoſcumque Iuniores coram ſe delinquentes obiurgare, ac corripere; Si quis temerè contra obiurgantem inſurrexerit, vel verba contumelioſa dixerit, vel

etiam

etiam ſubſanauerit, is re ſaltem per vnicum teſtem fide dignum medio eorum iuramento probata pro qualibet vice à Superiore ieiunio panis, & aquæ humi in Refectorio condemnetur, creſcente verò contumacia ad verberum, vel carceris animaduerſionem procedatur, quibus Iunioribus diſtrictè præcipitur, vt Maioribus ſuis, & maximè Sacerdotibus honorem, & reuerentiam deferant iuxtà Regulæ Diui Benedicti ſtatuta, quod ſi aliter fecerint, non exeant Clauſtra donec reſipiſcet. Qui quidem Sacerdotes Iuniores quoſque etiamſi maiores profeſſione extiterint vſquequò & ipſi ſacerdotio fungantur, præcedant.

In Miſſarum nouarum celebratione.
Cap. XCIX.

IN Miſſarum nouarum celebratione dedecet conuiuia parari, & ſœculares quamuis propinquos ad conueſcendum conuocari, pariterq. oblationes ab ipſis celebrantibus ab Altare ad populum conuerſis accipi. Ac proinde ſi aliquid horum Prælatus permiſerit pœnam vocis actiuæ, celebrans ſi id fecerit vtriuſque ad Capitulum proximè futurum incluſiuè incurrat.

Fructuum collectorum notam Regimini certo tempore mittendam.
Cap. C.

PEr totum menſem Ianuarij Superiores Monaſteriorum rei frumentariæ notam, & quantum vindemiæ, aliorumq. fructuum collegerint, exponant, ac indicent PP. Regiminis. Ita vt Præſidi, vel Capiti Regiminis inter alia Congregationis negotia, de quibus rem habent, etiam de redditibus cuiuſcumque Monaſterij pertractare, videre, ac diſponere debeant, pro quorum omnium fide, fiant à Cellerario litteræ à duobus Sacerdotibus ſubſcri-

ſubſcriptæ ſub pœnas priuationis vocis actiuæ vſque ad futurum Capitulum incluſiuè.

Concionari nemini liceat ſine licentia Regiminis. Cap. CI.

NVllus Abbatum, ſiue Monachorum Ordinis noſtri audeat in Eccleſijs extrà Ordinem publicè concionari, niſi prius obtenta licentia in ſcriptis à RR.PP. Regiminis ſub pœna priuationis vocis actiuæ ipſo facto vſque ad futurum Capitulum incluſiſiuè. Declarantq. eis, qui requiſiti recuſauerint legere caſus Conſcientiæ non eſſe concedendam licentiam concionandi.

De Animalibus, quæ in Societatem cum ſæcularibus habentur. Cap. CII.

DEcreuerunt etiam, vt animalia, quæ in ſocietatem cum ſæcularibus tenentur, habeantur inpoſterum non ſecus ac bona immobilia, ità vt Capitale nunquam diſtrahi, aut imminui poſſit, ſub pœna in iure lata contra alienantes bona, cuius obſeruantiam omninò inculcant.

Quomodo cooperiantur Monachi ad Altare proceſſuri. Cap. CIII.

MOnachos decet ſemper & in omni loco compoſito habitu eſſe, ſed maximè cum ſacris interſunt, aut ad ſacra peragenda incedunt. Prohibent itaque ne quiſquam in Choro, aut cum celebraturus à Sacrario ad Altare pergit, bireto vtatur, ſed in Choro quidem Caputio, cum verò ad Miſſas celebrandas incedunt amictu de more noſtri Ordinis omnes cooperiantur. Qui

tranſgreſſor deprehenſus fuerit humi pane, & aqua refectionem ſumat.

Ne ad feſta Eccleſiarum noſtrarum nimius noſtrorum Abbatum concurſus fiat. Cap. CIV.

IIs diebus, quibus Eccleſiarum Congregationis noſtræ inuocationes, aut ſolemnia feſta celebrantur, parum Diuino cultui prodeſt, ſi frequens Prælatorum cœtus interſit, quos niſi ingentibus ſumptibus, & graui ſingulorum Monaſteriorum damno à domibus ſuis abeſſe non poſſe certum eſt. Igitur excepto Prælato Monaſterij illius, quod proximum fuerit Monaſterio, vbi feſtum celebratur, nemo alter Prælatus ad Monaſterium, vbi feſtum agitur, accedat, exceptis PP. Regiminis, ſi fortè eos inibi ea die, lege, aut conſuetudine neceſſe fuerit conuocari.

De Monachorum bonis tempore eorum mortis extantibus. Cap. CV.

VT inpoſterum intereuntium ſiue Prælatorum, ſiue Religioſorum cæterorum bona, vulgo ſpolia nuncupata, eo reuertantur vnde exierunt, ſcilicet in communem Monaſteriorum rem. Ideo PP. Diffinitores ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetant, ne quiſquam, etiam Prælatus, ex intereuntium ſpolijs quidquam ſibi accipiat, ſed ſuppellectilem inter ſe, & Monachos diſtribuat. Libros, ſi qui apud mortuum reperti fuerint, publicæ Bibliothecæ (quæ in omnibus Monaſterijs propterea deputanda erit) adiudicet, & ſimiliter ſi quæ fuerint inter demortui ſpolia, quæ Eccleſiæ Sacrario, aut Hoſpitio inſeruire poſſint, ea omnia in Eccleſiam, Sacrarium, vel Hoſpitium reſpectiuè conferat. Pecuniæ omnes quotquot apud morientes ſiue

Prælatos, ſiue Monachos, ſiue Religioſos alios repertæ fuerint, aut ad eos crediti, aut alio nomine ſpectauerint; eæ omnes in capſa triclaui cuiuſlibet Prouinciæ reponantur, exceptis pecunijs morientium in Collegio S. Crucis, quæ ipſi Collegio cedent. Si quis autem ex ſpolijs defunctorum contra hanc Conſtitutionem aliquid acceperit, à pœna in hac Cõſtitutione impoſita abſolui non poſſit, niſi reſtitutione ſequuta, quam etiam pœnam incurrant ſcientes, & non reuelantes.

Quid teneantur ſoluere Monaſteria Morimundi, S. Bartholomæi Ferrariæ, ac Boniſolatij Monaſterio Ciſtelli. Cap. C V I.

MOnaſteria Sancti Bartholomæi propè Ferrariam, & Morimundi perpetuis futuris tẽporibus ſoluant quotannis Monaſterio noui Ciſtelli eamdem pecuniæ ſummam, quam olim pro fructibus Cenſus Excellentiſſ. D. Olimpiæ Aldobrandinæ in Vrbe ſoluebant, quod ſi eorum Monaſteriorum Abbates non præſtiterint priuationem vocis actiuæ per triennium incurrant, nec ad Diffinitorum electionem admittantur, ac proinde deferant ad Capitulum teſtimonium ab Abbate Ciſtelli adminiſtratore ſubſcriptum de eiuſmodi ſolutione facta. Abbas verò Boniſolatij det eidem Monaſterio Ciſtelli ſingulis annis centum menſuras frumenti, quas vernacula lingua vocant ſtara ſub eiſdem pœnis.

De Abbate Spineti, eiuſdemque Monaſterij adminiſtratione. Cap. CVII.

VT deinceps fructus redditus, prouentus, Iura, obuentiones, & quęcumque emolumenta Abbatiæ Sanctiſſimæ Trinitatis de Spineto perpetuò Monaſterio nouo Ciſtelli vnitæ in vtilitatẽ eiuſdem Ciſtelli obueniant obſeruetur omninò Breue Sanctiſſimi

Domi-

Domini Noſtri VRBANI VIII ſuper hoc emanatum anno 1627. die 21. Auguſti Temporalis verò Adminiſtratio eiuſdem Abbatiæ ad Patres Regiminis nunc, vel ad eum, qui eorum nomine ab ijſdem deputatus fuerit ſpectet, quouſque noua Ciſtelli ædificatio in totum abſoluta fuerit, tunc verò ad Abbatem Ciſtelli ſpectabit. Abbas autem ſpineti, qui pro tempore extiterit nullum ius, nullamq; iuriſdictionem in adminiſtrationem temporalium, nec reſidentiam ibidem habeat, ſed temporalis res, animarumq; cura per Monachum Vicarium à Regimine deputandum adminiſtretur, qui quidem Vicarius ſoli Regimini ſubditus ſit, & ad eius nutum amouibilis, locumque poſt Clauſtrales Priores teneat. Nemo etiam iuxta Breue eiuſdem Sanctiſſimi Domini ad dignitatem Abbatialem prædicti Monaſterij Spineti aſſumatur, niſi natione Florentinus fuerit.

Cellerarij ſuppellectiles Monachorum migrantium ad alia Monaſteria ſollicitè vehi curent, & pecunias Monaſteriorum in Capſa triclaui cuſtodiant. Cap. CVIII.

CEllerarij quoties Monachi mutantur de Monaſterio ad Monaſterium, infra duas hebdomadas à die diſceſſus Monachi computandas teneantur ſub pœna priuationis ab officio cõſignare Conductoribus ſuppellectiles Monachorum, qui mutantur, ijdem Cellerarij pecunias, quas exigunt teneantur intra terminũ diei naturalis ad Capſam triclauem deferre ſub pœna priuationis officij, & in hoc contra delinquentes procedatur tanquam de fraude ſuſpectos.

In Miſsis quo Miſſali vtendum. Cap. CIX.

IN Eccleſijs Monachorum noſtri Ordinis nullus Sacerdotum noſtrorum vtatur Miſſali Romano, ſub pœna pro ſingula vice

comedendi panem, & aquam humi in Refectorio. Mandant autem Abbatibus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per tres menſes, ne id permittant. Excipiunt tamen Eccleſias à Monaſterijs ſeparatas, in quibus ad curam animarum, ſeu alia beneficia reſident Sacerdotes noſtræ Congregationis.

Superiores ne faciles ſint in ferendis ſpiritualibus pœnis. Cap. CX.

PRælati, & Superiores omnes in imponendis pœnis ſpiritualibus, ne leuiter ferantur, ſed ijs tantum grauibus in rebus vtātur, ijſque ſolum rebus, in quibus ſua diligentia, & vigilantia, aut pœnarum temporalium comminatione vitia cohibere nullatenus poterunt; nam debitam ſibi à ſubditis obedientiam obtinebunt, ſi quos deprehenderint contra ſua præcepta delinquentes temporalibus pœnis grauiter poſthabito omni affectu puniant.

Quando ad ſacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas erit recurrendum. Cap. CXI.

IN ijs autem in quibus Conſtitutiones iſtæ nihil diſponunt recurrendum erit ad Sacros Canones, & Conſtitutiones Summorum Pontificum.

Quod Regula, quam profeſſi ſumus, & Conſtitutiones aſsiduè legantur. Cap. CXII.

IN ſingulis Monaſterijs quotidie aliquid de Regula D. P. N. Benedicti publicè legatur, & tota ſemel lecta iterum à capite repe-

119

repetatur, nec vllus dies prætereat, quin per eius lectionem promiſſio, quam in die emiſſæ à nobis profeſſionis Deo fecimus ad memoriam reuocetur, ſed & ſinguli Monachi prædictam Regulã apud ſe habeant, & aſſiduè legant, & meditentur, habeant & ſinguli librum hunc Conſtitutionum, quem bis ſaltem in anno publicè in ſingulis Monaſterijs legi, eaſque exactè ab omnibus obſeruari oportet, quas tamen ad culpam non obligare, niſi vbi id expreſſum eſt, vel vbi contemptus interuenerit omnes ſciant, ſed tantũmodo ad pœnã taxatam, vel taxandam arbitrio ſuperiorum.

Quod ſingulis Diffinitoribus ternæ litteræ gratioſæ concedantur. Cap. CXIII.

PEr multorum Summorum Pontificum Priuilegia Ordini noſtro conceſſa olim in ſingulis Anniuerſarijs Capitulis ſingulis Diffinitoribus ſingulæ literæ gratioſæ, quibus etiam quiſque quam maluiſſet Eccleſiaſticam, vel ſæcularem perſonam omniũ ſpiritualium bonorum, quæ in Congregatione fierent participem faceret concedebantur; Quoniam verò nunc Capitulum huiuſcemodi ſingulo tantum quolibet triennio celebratur, ne dicti Diffinitores in aliqua parte dictis Priuilegijs fruſtrentur in ſingulo triennali Capitnlo ternæ literæ gratioſæ huiuſmodi ſingulis Diffinitoribus conceduntur, quibus Congregationis benefactoribus prout eis libuerit bona ſpiritualia huiuſmodi impartiri poſſint.

Forma litterarum gratioſarum. Cap. CXIV.

QVoniam ſcriptum eſt, Orate pro inuicem vt ſaluemini, & & preces noſtræ, vt ait D. Gregorius tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem ſubleuantur, quanto eas viciſſim pro nobis fuſas charitatis ardor exaruit. Ideò tibi ſacrificiorum, Orationum, & reliquorum bonorum operum, ſiue piarum exercitationum, quæ in noſtra Congregatione fiunt ſpecialem

commu-

communionem deuoto animi affectu poſtulanti de Dei bonitate, ac de Sanctorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Bernardi meritis confiſi eam libenter concedimus pro nobis paria te ad Deũ vota rependere rogantes, quia communibus, & alternis orationibus pluſquam ſingularibus, aut priuatis æternã, quam ſuper omnia optare debemus à Domino ſalutem obtinebimus, & quibus communia fuerint in hoc ſæculo merita, communia erunt in futuro Deo miſerante præmia. Amen.

Dat.

CVm autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat dicti Abbates nominibus præfatis præinſertis Conſtitutionibus pro perpetua illarum ſubſiſtentia, & inuiolabili obſeruantia Apoſtolici noſtri muniminis firmitatem per Nos adijci ſummopere deſideret, Nobiſq. propterea humiliter ſupplicari fecerunt, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur inuiolabili earumdem Cõſtitutionum obſeruationi quantum Nobis ex alto conceditur conſulere, nec non dictos Abbates, ac totam Congregationem præfatam ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum pręſentium

120

ſentium dumtaxat conſequeñ harum ſerie abſoluẽtes, & abſolutas fore cenſentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Præinſertas Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium petpetuò approbamus,& confirmamus, illiſq. inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, omneſque,& ſingulos tam iuris,quam facti,& quantumlibet ſubſtantiales defectus ſi qui in illis interuenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem Conſtitutiones, nec non præinſertas litteras ſemper & perpetuò validas, firmas,& efficaces exiſtere, & fore, nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit inuiolabiliter ſub pœnis in eiſdem Conſtitutionibus comminatis obſeruari,& adimpleri debere, ac quoſcumque eiuſdẽ Congreg. Superiores,Monachos,& perſonas ad obſeruationem omnibus iuris,& facti remedijs cogi,& cõpelli poſſe,ſicq.per quoſcũq. Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari,& definiri debere,ac irritũ,& inane ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, & ignoranter contigerit attentari. Non obſtañ Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac quibuſuis alijs dictæ Congreg. etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus,priuilegijs quoque,

indul-

indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis ipſius Congreg. Superioribus, Monachis, & perſonis huiuſmodi ſub quibuſcũq. teñ, & formis, ac cũ quibuſuis etiã derogatoriarũ derogatorijs, alijſq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſq. & alijs decretis in cõtrariũ pręmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorũ tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes illis aliàs in ſuo robore permãſuris ad pręmiſſorũ effectũ ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt pręſentiũ tranſumptis etiã impreſsis manu Scribæ dictæ Congreg. vel Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo Præſidentis Generalis ipſius Cõgregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhibentur ſi forẽt exhibitæ, vel oſtẽſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Ianuarij M.DC.XXXXI. Pontificatus noſtri Anno Decimo octauo.

M.A.Maraldus.

Loco ✠ Annuli Piſcatoris.

Indul-

Indulgentiæ omnibus Religioſis Regularibus vtriuſque ſexus conceſſæ.

LIcet ſint multæ Indulgentiæ & gratiæ à Summis Pōtificibus noſtro Sacro Ciſtercienſi Ordini conceſſę, quoad Indulgentias tamen fęlicis recordationis Paulus Papa V. per Breue datum anno 1606. eas omnes reuocauit & infraſcriptas conceſſit vniuerſaliter omnibus Religioſis vtriuſque ſexus, ſuntq; ſequentes.

§. 1. Omnibus igitur Chriſtifidelibus, qui canonicè & iuxtà Ordines cuiuſlibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem à legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam conceſſit.

§. 2. Ac cuilibet Nouitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

§. 3. Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterij viuenti, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Cōmunione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam Plenariam.

§. 4. In cuiuſlibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus nomen IESV ore, ſi potuerit, ſin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.

§. 5. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit: necnon etiam ijs Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

§.6. Ijs verò qui de ſuorum Superiorum licentia à negotijs per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conuerſatione ſeparati in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad deuotionem,& ſpiritum induentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpè conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor Nouiſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri IESV Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium ſaltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſsionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum. Plenariam ſimiliter omniũ peccatorũ ſuorum Indulgentiã, & remiſsionem conceſsit.

§.7. Præterea ijdem Religioſi intra clauſtra viuentes, qui ſuã Eccleſiam deuotè viſitauerint, & vt præfertur orauerint, conſequentur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias perſonaliter viſitarent;

§.8. Omnibus item Religioſis intra clauſtra vt ſupra viuentibus, qui quinquies Orationem Dominicam,& toties Salutationẽ Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ, in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas.

§.9. Ijs verò qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tamquam Prædicatores, & Lectores quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§.10. Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſsi, & ſacra Cõmunione vltima Dominica mẽſis huiuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidẽ quadragenas.

§.11. Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis Culparum accuſabunt, & ſpi-

ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

§.12. Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in Ditiones,& Terras Infidelium,aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam conuertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſsi fuerint; ſi pœnitentes, & confeſsi, ac ſanctiſsima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebrauerint, vt meliùs ad huiuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus,videlicet quando itineri ſe accingent,& quãdo in Prouinciã, vbi prædicta opera eis exercenda erunt,ingreſsi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem miſericorditer in Domino pariter conceſſit.

§.13. Et inſuper cùm Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis argumento pias ad Deum preces, vt ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſsi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebrauerint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſsionem, vt præfertur, conceſſit.

Pius V. anno 1568.conceſſit Congregationi Hiſpaniarum ſequentes Indulgentias quibus gaudent per cõmunicationem, perſonæ noſtræ Congregationis, nec cadunt ſub reuocatione præfata Pauli Quinti,vt declaratum fuit Romæ anno 1624.

Recitantibus integrũ Officium B.Mariæ Virginis ſiue in Choro,ſiue extra Chorum pro ſingula vice centum dies de Indulgentia. Recitantibus verò Officium Defunctorũ, ſiue Septem Pſalmos Pœnitentiales diebus in Ordine noſtro Statutis ſiue in Choro,ſiue extra Chorum pro ſingula vice quinquaginta dies de Indulgentia.

FORMVLARIVM INTERROGATIONVM

FACIENDARVM PRÆLATIS ET DISCRETIS coram Patribus Diffinitoribus in Capitulo,

Compoſitum ad hoc vt Diſcreti ſciant ſuper quibus informare ſe debeant. Quod etiam poterit deſeruire Patribus Viſitatoribus in Viſitatione; omiſsis omittendis. Moneriq; debebunt Diſcreti, & Monachi Viſitati, quod poterunt reſpondere non ſolum de ſuo Monaſterio; ſed etiam de alijs ſi voluerint.

1 CVIVSNAM *Monaſterij Diſcretus ſit.* A quanto tempore in eo Monaſterio habitet,& in quibus Monaſterijs habitauerit à die vltimæ Viſitationis qua Viſitatus fuit.

2 Quot annos ætatis habet,& quot Religionis.

3 *An in Monaſterio cuius eſt Diſcretus Eccleſia tecta, fornices, parietes, pauimentum, Altaria, & cætera quæcumque intra, aut circa eam ſunt, aptè diſpoſita,& ornata ſint, præcipuè verò altaria, & Capellæ*; & an vna ad minus lampas coram Sacratiſſimo Corpore Domini ardeat,*& an cœmeterium ſit vndequaque clauſum, ita vt in illud animalia ingredi non poſſint.*

4 *An Sacrarium ſit ſacra Suppellectili ſufficienter inſtructum, & an ea diligenter per Sacrarij Præfectos cuſtodiatur, & an nitida & munda celebraturis miniſtretur, & an ad ſint Miſſalia Ordinis quot ſufficiunt.*

5 An Miſſæ iuxta Conſtitutionem 37.cantentur,& celebrentur, idemque interrogetur,de ijs quæ piorum legatis,eleemo-

ſynis,

ſynis, aut donationibus debentur, *& an in Sacrario omniũ oculis ſubiecta pateat tabella, in qua Miſſarum onera deſcripta ſint.* Et an Conſtitutio de celebratione Miſſarũ; ſingulis annis ſuis temporibus legatur, & an obſeruetur præcipuè in ea parte qua cauetur ne onera Miſſarum noua admittantur, quamdiu veteribus non eſt ſatisfactum; & ne onera perpetua admittantur ſine Regiminis licentia, & an in Miſſarum nouarum celebratione conuiuia cum ſæcularibus, & oblationes permittantur.

6 An recitentur quotidie in Choro horæ Canonicæ, & Diuina officia, quibus horis nocturnis, ſiue diurnis, an in cantu, an in directum, an clarè, & cum pauſa debita.

7 An habeatur oratio mentalis iuxta Conſtitutiones præcipuè poſt Completorium: & an huic ſicut & reliquis horis Canonicis interſint omnes, & an Sacerdotes frequenter celebrent, & reliqui præſcriptis diebus communicent.

8 An in Monaſterio ſit pax, charitas, & concordia, vel ſit aliquis maledicus, aut alienæ famæ detractor.

9 An votum Caſtitatis obſeruetur, & an ſit aliquis qui ad domos inhoneſtarum mulierum accedat, vel aliarum quarumcũque mulierum domos, aut colloquia frequentet, & quarum, & an ſuper hoc, vel alijs ad Caſtitatem pertinentibus ſit aliquis diffamatus, aut de aliquo, murmur, ſiue ſcandalum ortum ſit.

10 An votum Paupertatis exactè obſeruetur, & an ſit aliquis Prælatus, Monachus, vel Conuerſus, qui ſit incendiarius, vel fur, vel qui aliquid contra paupertatem poſsideat, videlicet notabilem pecuniarum ſummam, pretioſam ſupellectilem, cenſus, redditus bona mobilia, vel immobilia, & an ſciat, audiuerit, vel quomodocumque inditium habeat, quod aliquis Prælatus, Monachus, vel Conuerſus, in Inuentario quod Superiori, vel Præſidi, & Viſitatoribus, iuxta Conſtitutiones traditur reſpectiuè aliquid eorum quæ poſsidet, vel ad vſum & adminiſtrationem habet, reticuerit, celauerit, vel non integrè, & fideliter reuelauerit.

11 An

11 An aliquis Prælatus, aut Religioſus priuato nomine equos, Iumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoſcumque fructus ex terra prouenietes teneat, aut poſſideat, ſiue tenuerit, vel poſſederit, & an omnia, & ſingula prædictorum quæ Monaſterio obuenerunt, vel ad illud ſpectauerunt, fuerint à die emptionis, adeptionis, aut captæ poſſeſſionis, ſeu tentionis eorum, in libris Monaſterij ſcripta.

12 An ſciat quod aliquis Prælatus, vel Religioſus ex ſpolijs Religioſorum poſt Capitulum de anno 1628. celebratum, pecunias, libros, aut aliquid quod Eccleſiæ, Sacrario, aut Hoſpitio inſeruire poſſit, acceperit. Moneaturq; ipſe qui examinatur, quod ſi ipſe aliquid eiuſmodi accepit, excõmunicationis pœnã incurrit, à qua non poteſt abſolui niſi reſtitutione ſequuta, & an agnoſcat aliquem de præfatis quomodolibet informatũ.

13 An ſciat, quod aliquis reperiatur contumax & rebellis, Superiorum contemptor, iniuriator, aut etiam percuſſor, qui ve conſtitutiones derideat, aut eas legi, publicari, aut obſeruari, prohibeat, vel impediat.

14 Quænam in eius Monaſterio ſint ſpecialia decreta, aut præcepta Capitularia, vel Viſitatoralia, & an obſeruentur.

15 An agnoſcat in Congregatione aliquem conſpiratorẽ, aut qui Proceſſum, Superiorum, Viſitatorum, aut Iudicum à Capitulo, vel Regimine, aut alio legitimo Superiore deputatorum in Viſitationibus, Correctionibus, vel Ordinationibus impedierit, vel iſta facientibus conſenſerit per ſe, vel per alios litteras, preces, minas, inſidias, ſeu ſæcularium auxilia procurauerit, vel aliquem qui pro ſe Priuilegia, vel Indulgentias contra noſtras Conſtitutiones quæſierit.

16 An agnoſcat in Congregatione aliquem, qui ad effectum obtinendi in Congregatione Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, vel quæcumque officia, ad fauores perſonarum extra gremium Congregationis exiſtentium recurrerit, vel pactis pollicitationibus, aut alijs minus honeſtis, & legitimis rationibus, ea obtinere quæſiuerit,

aut

aut etiam ſponte oblatis fauoribus,& minimè conquiſitis vſus fuerit, & an ſciat aliquem electorum ad electionem proceſſiſſe intuitu huiuſmodi fauorum, pactorum, pollicitationum, vel minus honeſtorum, & legitimorum mediorum.

17 An Nouitiatus, aut profeſſorij clauſura ſeruetur, ita vt nemo accedat ad Nouitios, vel profeſſos, neque illi extra egrediantur ad alios, aut per Monaſterium vagentur, & an cum ad incumbentia ſibi exercitia egrediuntur ſimul ſemper, aut ſaltem bini incedant; an aliquis præter Magiſtrum Nouitiorum, vel profeſſorum claues Nouitiatus, vel profeſſorij habeat, & an Abbas Nouitiatum, vel Profeſſorium ingrediatur, nõ aſſumpto ſecum ſocio ſeniore aliquo Conuentus; & an aliquis Nouitius ſit prauæ indolis, qui ad profeſſionem non mereatur admitti.

Pro Diſcretis Monaſteriorum, vbi Nouitiatus vel profeſſorium exiſtit.

18 An ſit aliquis Lector, qui iuxta Conſtitutionem 91. ſacram Scripturam, vel Caſus conſcientiæ legat, & an omnes religioſi ad illam concurrant.

Pro Monaſterijs in Cõſtitutione nominatis.

19 An ſit aliquis violator clauſuræ, qui Mulieres intra portas Monaſterij, vel viridaria induxerit, aut qui ſine licentia extra Monaſterium pernoctauerit, quo tempore, & qua occaſione, & an bini, & cucullati ſemper incedant qui exeunt, & quoties per menſem liceat per Superiores domo egredi.

20 An ſit aliquis, qui cum indecenti tonſura, aut habitu contra Conſtitutiones incedat, aut qui arma deferat, aut apud ſe detineat.

21 An de ſero pulſetur Campanulæ ſignum quod dormitionem vocant, & an poſt eam portæ Dormitorij recludantur ſeris, & clauibus, & eæ penès quos aſſeruerunt, & an de nocte lampas in Dormitorio colluceat.

22 Quænam recreationum genera fieri ſoleant, quiue ludi permittantur, & an vnquam poſitis pecunijs ludatur.

Super his omnibus, & ſingulis ſi aliquid depoſuerit, interrogetur ſtatim an Abbas, ſeu Superior eorum notitiam habuerit, & an punijuerit, correxerit, & prouiderit pro grauitate, & modo culpæ.

23 *An Capſa triclauis in cella Abbatis extet*, & an eius claues penès tres perſonas, Abbatem, Cellerarium, & Capſerium cuſtodiantur, & an in eam mittãtur omnes pecuniæ, quacumque ex cauſa Monaſterio obuenerunt, adſitque liber introitus, & exitus ipſius Capſæ, & an ſingulis annis ad præſcriptum Conſtitutionum reuiſores computorum eligantur, & an ij ſic electi ſingulis menſibus ſimul cum Abbate, & Priore, computa reuideant, *& an Prior, ſiue aliquis reuiſorum ſibi aliquid commiſerit Capitulo exponendum, quod ad prædicta computa attineat.*

24 *An ad ſuum Monaſterium aliquis Abbas acceſſerit tempore per Conſtitutiones ad eligendos Diſcretos deputato, & an in electione ſua, aut alterius cuiuſpiam Diſcreti audiuerit fraudem aliquam interueniſſe, & an ſibi ab aliquo aliquid datum, vel oblatum fuerit poſtquam electus fuit Diſcretus, aut audiuerit alicui Diſcreto datum, aut oblatum à quopiam aliquid fuiſſe.*

25 An omnes Monachi, & præcipuè Prælatus comedat in menſa communi, & cibo, & potu communi reficiantur. An ieiunia Sanctæ Eccleſiæ, & regularia, Aduentus, & per annum obſeruentur.

26 An Prælatus viſitet ſingulis diebus infirmos, iiſque neceſſaria prouideat, & prouideri faciat, & an orum curam ſpiritualem habeat, præcipuè cum infirmitas grauatur, & an aliquis ſine Sacramentorum adminiſtratione, aut aliorum pietatis, & charitatis officiorum exhibitione deceſſerit; & an ſanis quæ ad victum, & veſtitum neceſſaria ſunt, charitatiuè miniſtrentur.

27 An Prælatus frequenter domo exeat, exienſq; vltra viginti dies continuos, vel in anno vno vltra quadraginta continuis, & diſcontinuis computatis moram faciat, aut fecerit.

28 An Prælatus diebus qui ſermonis dicuntur, ſermones in Capitulo faciat, in quibus de perfectione Monaſtica diſſerat, & vitia in communi, & in particulari, vbi opus eſt, reprehendat.

29 An in cella Prælati fiant priuatè commeſſationes, ludi, vel conuenticula.

30 An

30 An Prælatus ſe ingerat, vel ingeſſerit in exigendis, erogandis, aut contrectandis pecunijs Monaſterij, aut in rebus Monaſterij diuendendis, aut muneribus dandis, & dicat per quos hæc in Monaſterio gerantur.

31 An Prælatus nimium numerum equorum, aut famulorum alat, & exprimat numerum.

32 An Prælatus Monachos curis animarum, aut confeſſionibus Religioſorũ præficiat ſine præuio examine, & an in eius exercitio negligentes, aut ſcandaloſos toleret.

33 An Prælatus bona Monaſterij immobilia, ſeu mobilia pretioſa, aut animalia quæ in ſocietatem cum ſæcularibus tenentur, alienauerit, aut arbores inciderit, aut ſubſtantiam Monaſterij diſperdat, pretioſa munera, vel frequentia dando, vel conuiuia exhibendo.

34 An Regula & Conſtitutiones legantur, & quibus, loco, & tempore, & an obſeruentur, & an ipſe eas penès ſe habeat, aut habuerit.

35 *An Reuerendiſſimus Præſes, aut Patres Viſitatores in vltima Viſitatione communi menſa inter viſitandum vſi ſint, & an ſciat, quod aliquis eorum, vel eorum Conuerſi, & famuli aliquid à Viſitatis acceperit.*

36 An aliquid ſuggerendũ habeat pro bono gubernio ſui Monaſterij, aut felici directione Congregationis.

37 An aliquid pro ſeipſo exponere velit, an aliquam neceſſitatem ſpiritualem, aut corporalem patiatur, an afflictione ſpiritus, & quomodo ſe in vita Monaſtica, & virtutibus præcipuè charitate proficere ſentiat, & quomodo ſe in mortificatione, & & oratione exerceat, & dicat in quibus exercitijs, horas, tam nocturnas quàm diurnas inſumat.

38 A*n aliquid nomine alicuius Monachi, vel Religioſi, & præcipuè officialium ſui Monaſterij exponendum habeat, & an ab aliquo Religioſorum ſui Conuentus, litteras, ſchedulas, libellos acceperit ad Capitulum deferendos.*

39 Quibus habitis benignè, & cum breui hortatiuncula dimit-

O tatur

tatur. Patres Viſitatores poterunt omittere ea omnia, quæ minutioribus caractheribus ſcripta ſunt; & addere hoc Interrogatorium opportuno loco, ſed omnium aptiſſimo loco inſeri poterit poſt duodecimum.

40 An ſciat quod aliquis extra Monaſterium veſtes, mobilia, aut res aliquas ſeruet, aut ſeruari faciat, & an aliquis occaſione huius Viſitationis aliquid extra Monaſterium exportari fecerit, aut intra Monaſterium quomodocumque celauerit, aut ſubtraxerit.

DECRETA
SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII
S. D. N. VRBANI PAPÆ VIII.
Iuſſu edita.

De Regularibus Apoſtatis, & Eiectis.

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorū ſtatui conſulere, illorumq; ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæpretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum S.D.N. VRBANO VIII. atque ex peculiari Sāctitatis Suæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimum, prodeunt, deinceps nè ſerantur in vinea Domini cēſuit, eſſe innouandas, & Sanctiſſimi authoritate innouat Conſtitutiones, & Decreta Generalia ſa. me. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèq; præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque, vt obſeruentur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in ijſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs ad Nouitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu inpoſterum deſignandis, & approbandis Nouitij ad habitum vllatenùs recipi poſſint, niſi priùs à Cōgregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſſè, & nominatim

carceres in qualibet ſaltem Prouincia. Elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tãquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem poſſit, ſed ab ipſomèt Generali tantum de conſilio; & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque nonniſi inſtructo ſecundùm eorum ſtylum, & Conſtitutiones, proceſſu & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Intereà tamen vſque ad primum generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex iuſtis, & neceſſarijs cauſis expellere oportebit, eiectio fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, vt ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione; ſeruata tamen in reliquis forma ſuperiùs præſcripta. Sic verò eiecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iuriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, proindeque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores ſeriò admonet, ac per IESV Chriſti viſcera obteſtatur, vt, memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noſter IESVS Chriſtus in ſupremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Præterea ſtatuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religioſis expulſis literas teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extrà Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.

Ac poſtremò eſſe innouandam, & ſuæ Beatitudinis authoritate innouat Conſtitutionem fel. record. Gregorij Noni relatam in cap. fin. de regul. ac propterea declarat, eam Conſtitutionem in ijs quoquè vendicare ſibi locum, ſeruandumque eſſe, qui iuſtè, diffinitiuèque, ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint; dummodò tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis ex litteris ſaltèm teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his literis concedendis Sacra Congregatio ſeriò onerauit.

Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis decretis, & ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacra Congregatio, Sanctiſſimo Domino Noſtro annuente atque approbante, vniuerſis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcunque alijs Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Cōgregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbiquè locorum exiſtentiū iniungit, ſeriòque mandat, vt illa diligenter obſeruent, atque obſeruari procurēt in omnibus Cœnobijs, ac Monaſterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium vbiquè locorum exiſtentibus, efficiantque vt tàm Decreta ſupradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm præſentes Ordinationes in ſingulis eiuſmodi locis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſq. actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterùm obtinenda, pœnaq. huiuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ijſdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitùs interdicta, & nihilominùs ſit irritum, & inane quicquid ſecùs, à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauo-

ſauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magnò, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda; aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ ſupradictis quomodolibet aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè Sanctitatis ſuæ authoritate, derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

C. Card. Torres.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.

DECRE-

DECRETA GENERALIA fel. rec. Clementis PP. VIII.

Ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, profeſsionem, atque inſtitutionem ſpectantia alias facta, & publicata.

De Nouitijs ad habitum Regularem, & profeſsionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignandis.

REGVLARIS diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm iuxta noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vſu compertũ eſt, quòd in omnibus Conuentibus, ijs præſertim, qui maiori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes, paſſim recipiuntur. Vnde fit, vt quò magis Nos varijs conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus: eò magis in dies deprauata, infructuoſaq. eiuſmodi nouiter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti Decreto ſtatuimus, diſtrictèq. præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, cæteriſque Superioribus Conuentuum intra Italiæ, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium quibuſcunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem ſub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, niſi in Conuentibus auctoritate noſtra propediem in vnaquaque Prouincia deſignãdis.

179

Inſuper ſancimus, vt quoad eiuſmodi Conuentus, vt præfertur per Nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Nouitiorum, ſiue ad habitum, ſiue ad profeſſionem omnino abſtineant. Superior, qui huius Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſq. actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, ſe nouerit incurriſſe, ac alijs etiam pœnis arbitrio noſtro ſubiaceat. Receptiones verò, & profeſsiones quaſlibet eorum, qui contra huiuſmodi Decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, Statutis, & conſuetudinibus quibuſcunque in contrarium minimè obſtantibus.
Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

Renouatio, & ampliatio eiuſdem Decreti.

De Nouitÿs ad habitum Regularem non recipiendis, niſi in Monaſterÿs, & locis deſignandis.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cum iamdudum animaduerteret collapſæ Regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm, iuxta ſui muneris debitum, vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monaſterijs, & Conuentibus, ijſq. præſertim, qui maiori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes, paſſim, ac ſine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis varijs Conſtitutionibus malè affectas radices euellere, ſtudet, eò magis infructuoſa nouiter profitentium germina quotidie ſuccreſcant: cumq. ob zelum, ac deſiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus ſuæ cuiuſque Reli-

gionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad ſuſcipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturuè, quouſque Monaſteria, & Conuentus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodiùs Regularis obſeruantia, ſecundum reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam introduci. Quia tamen non obſtante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum: Idcircò huic malo proſpicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiuſmodi ſubreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis ſuæ irritum reddatur; Nunc denuò diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcunque, cæteriſq. Superioribus, Conuentuum, Monaſteriorum, ac Domorum quocunque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adiacentium fines exiſtétium, quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori obſeruantia, necnon Capuccinorum Sancti Franciſci, Reformatorum Sancti Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis, Ciſterciéſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Ieſu, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum Infirmorum, reſpectiuè Ordinibus, Societatibus, ſeù Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & tunc iterũ excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.) Ne ſub cuiuſuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per litteras in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem ſuſcipiendum, nec etiam conuerſos, niſi in Conuentibus, Monaſterijs, & Domibus, auctoritate eiuſdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis, recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere

re vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis ſuæ receptos, etiamſi imperfectum habitum, aut ſine caputio gerant, poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino eijcere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia inpoſterum obtinenda, eo ipſo incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ imponendis ſubiacere.

Receptiones verò, & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra huiuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas ſua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monaſteria à ſe probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactenus permiſſione ſua conſtituerit.

Cæteras verò licentias, ſiue particulares, quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc ſuum in ſolitis locis Vrbis publicatum ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter fuiſſet intimatum, priuilegijs, ſtatutis, & conſtitutionibus quibuſcunque in contrarium minimè obſtantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. menſis Iunij 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tàm Monachorum, quàm Mendicantium cuiuſcunque Ordinis, & Inſtituti.

CLEMENS PAPA VIII.

3 NVllus omninò prætextu cuiuſcunque priuilegij, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſeruitio Chori cen-

 ſeatur

ſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint; Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.

Lectio Sacræ Scripturæ, vel Caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe vtiliter exerceant.

Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſeruentur, Præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, cenſus, eleemoſynas, ſiue ex concionibus, ſiue ex lectionibus, aut pro Miſſis, tàm in propria Eccleſia, quàm vbicunque celebrandis, aliouè ipſorum iuſto labore, & cauſa, & quocunque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere poſſit: ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

4 Neque Superioribus, quicunque illi ſint, vllo pacto liceat eiuſdem fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à

Con-

Concilio Tridentino præſcriptas; ſed alias quoque multo grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7 Nullà quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo minus culpæ, & pœnæ ab eiuſdem Concilij Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxij ſint, etiamſi Superiores aſſeuerent huiuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum veſtitus, & ſupellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis ſit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quàm profeſſi ſunt, conueniat: ita vt nihil ſuperflui admittatur; nihil etiam, quod ſit neceſſarim, alicui denegetur.

9 Quæcunque Fratrum veſtes, ſiue laneæ, ſiue lineæ, omniſq. alia ſupellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

10 Omnes etiam Superiores, quicunque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemq. obſonio, ſiue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi menſa prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo priuatim quiſque in cibũ vtatur, vllo modo afferri poſſit, ſi quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

11 Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vſus, quàm ratione officij ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipſos in aliquo Cõuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, ijs, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, adminiſtrationem bo-

norum,

norum, aut aliarum rerum, diſpenſationemq. pecuniarum, & reddituum ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per ſe ipſum habere, ſiue exercere poſſit; ſed vniuerſum id onus tribus Fratribus eiuſdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumq. colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depoſitarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſeruet: alius de pecunijs, & rebus à Depoſitario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerſo de neceſſarijs, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed iuxtà charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator prouideat, officiorum huiuſmodi confuſione penitùs interdicta.

13 Cæterum hi tres tàm impenſi, quàm accepti ſingulis menſibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiuſdem Conuentus probatioribus, rerumq. vſu peritis, rationem reddant: Deindè ipſimèt rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum aduenerint: denique ipſe Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali ſaltem coram tribus iudicibus, ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, vniuerſamq. ſuæ adminiſtrationis tàm publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc, vt ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

14 In vnoquoque Conuentu, Fratrum is tantùm deinceps conſtituatur, & impoſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, alijſuè quibuſcunque obuentionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè poſſit ſuſtentari; redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter aſſeruentur.

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc noſtra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo poſſint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irri-

tum

tum &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioq. priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

16 Nullus, niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus priuilegio gaudeat.

17 Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis iudicio probanda, ſocius ex eodem ordine, qui illi miniſter, concedendus erit, is niſi vigeſimumquintum agat annum, & qui communi ſeruitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus conuerſus.

18 Vt omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conuentus clauſura perpetuò, ac diligenter ſeruetur, ac propterea à Superiore ianitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiàq. ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumq. exituro adiungat, non petentis rogatu; ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur.

20 Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, quià ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

22 Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetrauerint.

23 Si quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, ſubiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduerſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & recepe-

ceperint, ſine vlla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cùm ſibi videbitur cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiori poſſit aperiri.

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas ſiue in clauſtro, ſiue alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat, ſed vnuſquiſque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & menſa humilibus, vniformiq. ſupellectili (vt præfertur (quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit: poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, ſi eorum muneris, & officij neceſſitatem id exigere cognouerit; alteram etiam cellam concedere.

27 Cellæ, ſiue ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vſum, & commoditatem Conuentus redigantur.

28 Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29 In priuatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus conuulſis, vt res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30 Conuentus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, vt omninò is proſpectus impediatur.

31 Valetudinarium in ſingulis Conuentibus certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò deſit, quod ad ſanitatem recu-

cuperandam pertineat.

32 Ineatur ratiò, qua, ſublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuſcunque conceſſis, degentes extra Conuentus clauſtra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, niſi ex grauiſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, huiuſmodi facultates concedi poſſint.

33 Nulli impoſterum ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conuentibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Prouincia deputandis.

34 Curent Superiores, vt Conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obſeruetur.

35 Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeù ſuffragiorum procuratione, tàm pro ſe ipſis, quàm pro alijs, tùm in Capitulis locorum, tùm in cæteris præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeù alibi. Quicunque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus cõtra huiuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, ſuper quò cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum grauiùs etiàm plectantur. Porrò ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non reuelantes extendimus.

36 In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à Sacro Conc. Trid. & Ordinis Conſtitutionibus inuiolabiliter ſeruetur, iurentque Electores ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueuerint regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſeruare, præſertim quæ pertinent ad ſeruitium Cho-

ri, ac veſtitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuſlibet Prouinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones etiam ipſorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent priuſquàm probentur, & ad huiuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiàm curæ ſit examinare, & probare, tàm quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoſcunque Ordines, in quo ſeruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores ſint rationis, quàm in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, ieiunio, Capitulo culparum, alijſque ſpiritualibus exercitijs prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruentur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtituenda, & amplianda eſſe, quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conuentu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſeruantia.

39 Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo vniuſcunque Conuentus, in qua diſtinctè adnotetur quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Cõſtitutiones, his Decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec, alia quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſeruari poſ-

ſint,

ſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuſcunque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi, & aduerſus eas vnquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine vlla exceptione reſpectiuè incidiſſe.

41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſeruatio, quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, vt poſt illorum publicationem in Conuentu, vel Monaſterio cuiuſlibet Ordinis de Vrbe factã, Generalem, alioſque Ordinum Superiores, cæteroſque quoſcunque Fratres præſentes, ſtatim: reliquos verò abſentes citra montes, vnius menſis; vltra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

42 Inſuper mandamus, quòd Generales in ſingulis Conuentibus citra montes, vnius menſis, vltra verò montes, trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna priuationis Generalatus, alijſque arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. menſis Iunij 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licẽtia duntaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extẽdi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipſe ex cauſa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiuſmodi facere valeat, declarauitq; pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reſeruatam eſſe, interdicta omninò eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martij 1601.

Decretum fel. rec. Clementis Papæ Octaui, ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.

SAnctiſſimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipſa comperit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij diſperationem; Ideò, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè proſpiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superiobus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantiones, Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeù Conuentus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeù Conuentu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeù legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeù conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monaſterij, ſeù Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio cuiuſque perſonę.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si

Si quod aliud prætereà peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſpontè, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, ijq; ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

Tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à Confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Atque ita per quoſcunque Regularium Superiores quicunque illi ſint, obſeruari mandauit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ad cuiuſuis Concilij, & etiam Generalis Decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis, aut Regulis in generalibus, ſeù prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & conceſsionibus quorumcunque, quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. menſis Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declarauit & declarat, vt ſi huiuſmodi Regularium Confeſſarijs caſus alicuius reſeruati facultatem peten-

ten-

tentibus Superior dare noluerit, poſsint nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſoluere.

Formula concedendi facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monaſterijs, & locis deſignatis.

SAnctiſsimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa Octauus cum regularem diſciplinam reſtituere, atque in priſtinum ſtatum reuocare maximè cuperet, regulareſq; omnes, vitam, moreſq; ſuos ad rationem eius inſtituti, quod quiſque profeſſus eſſet, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum, victumque communem pertinent, ea potiſſimum ſinguli religioſiſsimè obſeruarent, generali Decreto, quòd de menſe Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religioſorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Nouitios reciperent, aut quenquam ad profeſsionem ante admitterẽt, quàm à Sanctitate Sua Monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſeruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas Sua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum eſſe numerum duntaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterij cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt, atque in ijs omnia fideliter obſeruari, quæ ſunt cum illorum profeſsionis perfectione coniuncta, nempè caſtitatis paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel inſtituti ipſius, vel Pontificijs etiam ad victum, veſtitumque communem ſpectantibus (ipſo Decreto, vt ſupra, edito, & promulgato, nequaquam obſtante) poteſtatem facit Superiori eiuſdem Ordinis Nouitiatus in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atque ad profeſsionem admittẽdi

modo

modo tamen id ad præſcriptum inſtructionis iuſſu Suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea eſt Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monaſterijs, & Conuentibus ad alendos Nouitios præ finitis, regularis obſeruantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipſis præſcriptus iam perſonarum numerus in poſterum ſeruetur, nullusque omninò Superior cuiuſuis conditionis, perſonarum, & Nouitiorum numerum augere præſumat, ea pœna propoſita, vt in omnibus priuatus officijs vocis actiuæ, & paſſiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua huiuſmodi facultatem per Cōgregationem Reformationis Apoſtolicæ hæc Decreto Secretarij manu ſubſcripto concedi, non obſtante Decreto, vt ſupra promulgato. Datum Romæ die, &c. Præſcribitur verò numerus Sacerdotum..., Clericorum..., Nouitiorum..., Conuerſorum autem...

N. Viſitationis & Reformationis Apoſt. Secr.

Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & profeſſionem.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa Octauus, qui aliàs pro Regularis diſciplinæ reſtitutione, ſingulis regularium Ordinibus (quibuſdā exceptis) prohibuit, ne ad Regularem habitum Nouitios in poſterum reciperent, receptosvè ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cuiuſuis Ordinis Monaſterijs, ſeù conuentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitijs deſignarentur, & approbarentur) ad eius, quam profeſſi ſunt, Regulæ præſcriptum, vitam, moreſq; reſtituerent, & componerent; certior deinde factus quoſdam omnium ferè Ordinum Conuentus, ſeù Monaſteria ad priſtinam illam regularem viuendi formam, & diſciplinam, quam diutiùs deſiderauerat, fuiſſe redacta: in eiuſdē Monaſterijs, & Conuentibus, vt Nouitiatus erigi, Nouitijq; recipi poſſent, (ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, vt licentia à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ prius obtenta

eſſet

eſſet) conceſſit, & ad illa deſignauit,& approbauit. Nunc volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & inſtitutione, de mandato Sanctitatis Suæ præſcripta fuerunt in poſterum accuratiùs, & exactiùs obſeruentur, vltra formam traditam in Conſtitutionibus fel.rec.Sixti Papæ Quinti, & etiam Sanctitatis Suæ ſuper receptione Nouitiorum,decreuit,ac præſentis Decreti virtute mãdauit, ne in Conuentibus, ſeù Monaſterijs ad Nouitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ, ſeù dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus deſignatis, & approbatis, ſeù in poſterum deſignandis,& approbandis,Nouitij ad habitum recipi vllatenus poſſint, vel admitti, niſi prius ab ipſa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum diœceſi Nouitiatus exiſtunt, in quibus Nouitij recipiendi fuerint, expreſsè,& nominatim Nouitij ipſi recipiendi approbati fuerint,& vt recipi,& admitti poſſint, licentiam in ſcriptis (gratis tamen in omnibus, etiã quoad ſcripturam cõcedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eoſdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, ſcientiam, vitam, & mores, cæteraſque qualitates in ipſis Nouitijs requiſitas,obſeruentur inſtitutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem adhibitum recipi permittant; Ordinariorúm ipſorum conſcientiam onerando,ſi quempiam approbauerint, vel admitti permiſerint,qui non ſit idoneus,& iuxta Conſtitutiones, & inſtitutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui,in admittendis adhibitum,& profeſſionem, Nouitijs, formam conſtitutionum, & inſtitutionum prædictarum non ſeruauerint, aut Nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu, & loco, ſeù Monaſterio, præterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione deſignatis, & approbatis, ſeù in poſterum deſignandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeù præſcribendum receperint, vel admiſerint,

ſeù

137

ſeù aliàs præmiſſis, quouis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid ſecus, vel aliàs, quauis auctoritate à quouis geſtum, vel attentatum fuerit. Non obſtantibus quibuſcunque, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 19. Maij 1602. Pontificatus eiuſdem S.D.N. Anno Vndecimo.

Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum Religioſorum in Monaſterijs, & Conuentibus deſignatis, vel deſignandis Clementis eiuſdem iuſſu editæ.

CVm ad regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſterijs propagandam, Nouitiorum inſtitutio maximè vtilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm, vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinãdo eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſeruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, vt huiuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum inſtitutione, atque educatione, necnon in Magiſtri, & aliorum Miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis præſertim Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuſcunque Ordinis, aut inſtituti conſtitutionibus continetur, tàm in aliàs deſignatis, quàm nunc, & in poſterum adhoc deſignandis Monaſterijs, & Conuentibus, hæc, quæ ſequuntur, inuiolatè obſeruari, & exequi perpetuò curent.

Primum, quòd attinet ad Nouitiorum recipiendorum formã, vltra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de vniuſcuiuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta,

ac præcipuè eorũ, qui ſextumdecimũ ætatis ſuæ annum excedẽt, an criminoſi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius adminiſtrationis rationi obnoxij ſint, iuxta formam Conſtitutionis ſelic. rec. Sixti Quinti, & moderationum ſubſecutarum: illud etiam Superiores ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, vt, quibus in Monaſterijs, & Conuentibus. & Apoſtolica facultate Nouitiatus fuerint inſtituti, in ijs ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum Conſtitutionibus præſcriptas non habeat, iuxta Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum.

Quiſque recipiendus in aliquo ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam verò litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt minores, & ſui temporibus, maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum regularẽ admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerint, in Conuerſorum tantum, quibus litterarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: ipſi autem Conuerſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annũ: & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita nouerint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari poſſint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

Prouideant quoque, vt omnes, etiã Conuerſi recipiendi; priuſquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam profeſſuri ſunt tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & alijs cuiuſque Ordinis peculiaribus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarundam

rundam Religionum moris eſt, nedum Conuerſos ad profeſsionem admittendos, verum, & oblatos, vt vocant, recipere; circa ipſorum oblatorum receptionem vnaquęque religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialiaq; inſtituta obſeruare teneatur.

Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactę vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem vniuſcuiuſque Nouitiatus ſpectat, locus huiuſmodi propria clauſura ab ea parte Conuentus, & Monaſterij, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatq; tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numerò Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magiſtro, eiuſq; ſocio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeù conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſq; Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant.

Oratorium inſuper, ſeù Capella, ſi commodè fieri poterit, ad Nouitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremonijs, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus, atque munitus adſit; ſin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eundem quiſquam alius ingrediatur.

Ad huiuſmodi locum Nouitiatus nemini eiuſdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentus, & Monaſterij Officiali, vllo vnquam tempore ſub quouis prætextu aditus pateat præterquam Magiſtro, eiuſq; ſocio, ac etiam Monaſterij, aut Conuentus Superiori, ſi quandocunque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimauerit, quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conuentus,

vel Monaſterij Patribus ſocium aſſumat.

Huius loci clauſuræ clauis apud Magiſtrum ſemper aſſeruetur, illiq; ſoli liceat ex graui tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: ſi quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magiſtro ſocius, ſi per Nouitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) conſimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubiectus exiſtat, eliganturq; tàm Magiſter, quàm ſocius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiuſmodi ſubdituri. Quòd, ſi aliquo caſu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Nouitiorum, & ſocij huiuſmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, ſeù Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeù Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur; idemq; ſeruetur, ſi intra triennium, alterum, vel vtrunque vrgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij conſimiles ſubrogari debeant.

Tàm Nouitiorum Magiſter, quàm ſocius ab ijs omnibus officijs, oneribuſque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter Sacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit: Socius verò trigeſimum annum excedat, ſintq; ambo doctrina, & quantùm per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graues, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueuerunt, quam longiſſimè alieni, & tales demùm, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeat, vt ij, qui eorum curæ ſubſunt, illos

non

non tàm metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam poſſint.

Habere etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa Nouitiorum inſtitutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore ſe ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari diſciplina ſedulò exerceantur, agnôſcantq; præcipuè diuinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quę vera, atque perfecta votorum ſollemnium, & quàm neceſſaria cuiuſque Ordinis Conſtitutionum obſeruantia modum in oratione, tùm vocali, tùm mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefacta omni tempore prona eſt, atque procliuis) per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi auſteritatem, ieiunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiã, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat vnuſquiſque ſecundum propriam capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam vnuſquiſque examinare contendat. Ipſi autem Magiſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum confeſſiones audire.

Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro, nocturnis, diurniſque diuinis Officijs aſſiſtant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Nouitiatum ſemel in hebdo-

hebdomada, vel in alterius ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur; fiatq; ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorentur diſiuncti, atque eo tempore, cuiuſque, in quam natura feratur propenſionem ſcrutentur.

Non liceat eis, durante Nouitiatus, & probationis tempore, vnà cum Profeſsis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſsionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & proprijs cuiuſque neceſsitatibus, quæ accidere poſſunt, vnus ex nouitijs ipſis, ætate, moribuſque prouectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuioris momenti prouiſio intra Nouitiatum committi poterit.

Cùm autem licèt Clericorum benè inſtituẽdorum cura debeat eſſe præcipua, Conuerſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationẽ, tùm religioni decorem, & ornamentum, tùm alijs Chriſtifidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuerſis ipſis à Clericorum Nouitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) aſsignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtãte, Magiſtro Nouitiorum, ſeù Superioribus Monaſteriorum, & Conuentuum iuxta cuiuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orãdi, diligenter inſtruendi erunt, quod vt commodiùs fiat, ad Capitula, & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Nouitijs fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſijs ſtatutis horis conueniant, niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapſo, ij tantùm, qui non ſolum religioſæ perfectionis capaces: ſed ad laborem corporalem apti

nouo,

nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimumſextum, quo verò ad Conuerſos, vigeſimumprimum exceſſerint) ad profeſsionem admittantur; Sed qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſsint.

Superior cuiuſlibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerint conſtitutus; particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque Nouitij profeſsio regiſtretur, illamq; Nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Conuerſus verò litterarum ignarus, profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignum Crucis apponat; aſſerueturq; liber, & cuſtodiatur in Archiuio, vbi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeù Conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.

Quia verò in quibuſdã Ordinibus filiationis vſus eſt receptus, declaratur, quòd licèt decretum ſit, vt Nouitijs educandis certa Monaſteria, aut Conuentus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit ſuperioribus Monaſteriorum, & Conuentuum huiuſmodi Ordinum, in quibus filiationis vſus receptus eſt, eos, quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios iuxta cuiuſque Ordinis Cõſtitutiones adſcribere, ſicq; adſcriptos, cum iuxta præſentes inſtitutiones, & aliàs, ſeruatis ſeruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Nouitiatuum cum teſtimonialibus litteris tranſmittere, vbi tanquam dictorum Conuentuum, ſeù Monaſteriorum filij, eorundem nomine, & inſtantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequã ad eadem Monaſteria, ſeù Conuentus filiationis huiuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem, vt permiſſum eſt, exerceri debebunt.

Porrò, ne loca vnius Monaſterij, ſeù Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis

Con-

Conuentibus, & Monaſterijs præſcribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti meliùs in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſeruantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt ſtatim poſt profeſsionē emiſſam, ſi in Conuentibus, aut Monaſterijs pro Nouitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi Nouitiatus, ſiue Profeſſorij, ab ea, quæ Nouitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conuentus eos alere queat, ſin minus, in alium cōmodiorem Conuentum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Nouitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo conſtruatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ, ſuarum conſtitutionum, ſeù inſtitutorum vigore maioris temporis curſu nouos profeſſos intra Nouitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt, prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac Religioni magis expedire dijūdicauerint, quibus in locis degant ſub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam ſeruent antiquiores profeſſi, ita quod in negotijs Monaſteriorum, aut Conuentuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quouſque ad ætatem ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem deuenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò, & debebunt litterarum, ſtudijs operam nauare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

Declaratur tamen, quòd propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Nouitios, niſi in locis pro Nouitiatu deſignatis, aut in poſterum deſignandis, & pro numero duntaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.

Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu, & ordine Superiores

res ſunt, & alij; ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeù quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioreſque pro modo admiſſæ culpæ pœnas, ſe ſubituros certò ſciant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19. Martij 1603.

Ant. Seneca Reformationis Apoſt. Secr.

DECRETVM

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII S. D. N. VRBANI PAPÆ VIII.

Iuſſu editum.

De rebus Regularium non alienandis.

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apoſtolicis priuilegijs innixi, ac proindè operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere: ſpeciali Sanctiſſimi D.N. iuſſu, Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcunque alijs Superioribus Regularibus, cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel inſtituti intrà fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeù vitalitios, hypothecam, locatio-

nem, & conductionem vltrà triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquàm in caſibus à iure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atquè interdicit, abſquè ipſius congregationis Concilij expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterùm obtinēda, quam ipſo facto abſquè aliâ declaratione incurrant; ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtit. & præſertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit, Ambitioſæ, in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus, hypothecas, locationes, cōductiones, & conceſſiones quaſcunque contrà huiuſmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suæ authoritate, ipſo iure nullas, atquè irritas decernit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atquè Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioan. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiā neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque; necnon illorum, iuramento, confirmatiōne Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoquè, indultis, & priuilegijs ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſ-

modi

modi præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ præſenti decreto, ac prohibitioni aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialitèr, & expreſsè, Sanctitatis Suæ authoritate, derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ die vij. Septembris MDCXXIV.

Coſmus Card. de Torres.

Locus ✠ Sigilli. *Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.*

DECRETA
SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII
S.MI D. N. VRBANI
Diuina Prouidentia Papæ VIII.
AVTHORITATE EDITA.

De Celebratione Miſſarum.

CVM ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſinis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur, indeque fiat, vt depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides viole-

tur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſtifideles graui ſcandalo affecti, plerunque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſijs, ſorte pecuniarum abſumpta, plerunque nuda remaneant onera Miſſarum abſque vllo emolumento; aut quòd eleemoſina pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, vt nõ facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur: SACRA CONGREGATIO CARD. CONC. TRID. INTERPRETVM animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatiq. ac Iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum à Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare Sanctiſſ. D. N. VRBANI Diuina Prouidentia PP. VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtricte prohibet, atque interdicit; nè Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarũ, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congre-

gationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcunque tàm ſecularibus, quàm regularibus, SAC. CONGREGATIO ſub atteſtatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; itaut alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obſeruetur exactiùs, SAC. CONGREG. eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tam ſecularibus, quam regularibus cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quacunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorū celebratione, aut aliquibus collectis, ſeù orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurū ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta: ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tàm ſecularibus, quàm regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendà à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penès ædem Sacram, vel perſonam, fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeù illorum pretium quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia au-

auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem poena, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis, cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc SAC. CONGREGATIO quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tàm ſecularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum: ſeculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſeculares, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò poenam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſq; alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demùm ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis, ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant: alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiijs, cum inſcriptione illa, Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub ijſdem poenis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeù eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamq; rationem habeât, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantq; ſi in re tanti momenti

menti deſides, aut negligentes fuerint, in Nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò ILLVSTRISS. PATRES, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſinæ cuiuſq; Monaſterij: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Trid. Concil. decretis hac dè re editis, Sanctiſſ. D. N. authoritute præcipiunt ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcunque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac Domorum regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium, vt ſinguli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tàm communes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeù permiſſas in communem vſum deinceps, conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliauè cuiuſlibet generis onera conſueuerunt abſorbere: eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeù Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeù Congregatione deligendis, proponat, qui cõputatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra detractis, ſedulò examinent, quot religioſi homines, connumeratis etiam laicis, alijſque neceſſarijs ſeruientibus, in vnoquoque Mo-

naſte-

naſterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxtà regionis,& proprij inſtituti morem, victum, & veſtitum,& medicinalia in communi habentes,competenter valeant ſuſtentari. Tùm eorundem bonorum, reddituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeù Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis: cuiuſque familiæ Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis in ſingula quaque prouincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores,qui id præſtare debent; ſeriùs aut remiſsiùs, quam par eſt,ſuo muneri ſatisfaciant; mandat SAC. CONGREGATIO, vt infra annum,poſt proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter geſta, in authenticam formã redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia,& auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes; quàm locales perpetuò ſeruare omninò teneantur, nec poſſint illum quoque modo augere,etiam prætextu augmẽti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſupra præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis, duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeù Religioſi degere, & ex redditibus, &

con-

conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis; competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint: Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeù deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſq; Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vocisq; actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quam locis, quocunque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarũ, etiam S. Io. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſlibet alterius inſtituti, etiam neceſſario, & indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tàm ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiã immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, &

ex certa ſcientia,ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis,& iteratis vicibus approbatis, & innouatis,etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens,quibus, quoad ea,quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuri, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ authoritate, & ſpecialiter,& expreſsè derogat cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.

Et ne permiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit,voluit eadem SACRA CONGREGATIO, vt præſentes Ordinationes in Valuis Baſilicarum S.Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Vtque earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Coſmus Card. de Torres.

Locus ✠ Sigilli. *Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.*

DE-

DECLARATIONES ALIQVOT SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII S.MI D. N. VRBANI Diuina Prouidentia Papæ VIII. AVTHORITATE EDITA.

Super Decretis eiuſdem Congregationis De Celebratione Miſſarum.

SVPER primò Sacrę Congregationis Decreto, de Celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis Decretò, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam cōgruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Cōgregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorū celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quęritur, An verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quęritur, An permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, An hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferentur in titulum; ideſt, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſę, debeant dare eandem integram

gram

gram, eleemoſynam iјs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynā conſuetam?

Vndecimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ita demùm iјdem accipere poſſint; ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Aliòquin omninò ab ſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat abſolutè, quò minus accipiant nouas eleemoſynas iј, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentit, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, An pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi preſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiјs, vt ibidem precipitur?

Decimoquartò, An in hoc Decreto comprehendantur illę capſulę, quę apponi ſolent in Eccleſiјs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (caſſę de Morti?)

Decimoquintò, An Adminiſtratores Eccleſię magnę deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iјſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, nè aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoſextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquis directa ſolis Capitulis, Collegiјs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum, tàm ſecularium, quàm regularium ſuperioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& aliјs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

De-

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari;

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti ſanct. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditiuum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec ne?

Decimooctauò, An Nouitij, ad habitum Regularem admiſſi poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, habita vt ſuprà præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimononò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltèm Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ.

Quæritur, An hoc Decretum, quod videtur editum in Ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat, eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, An idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi, &c habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate ſibi à Sanctiſſ. D.N. attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit; Veruntamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad

ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tūc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeù capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeù illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quę pro ipſomet tantùm Miſſę ſacrificio neceſſariò ſunt obeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſupra deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynā tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad

Ad vndecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demùm celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis iuxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorũ, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimumſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Locus ✠ Sigilli. *Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.*

Feria

Feria V. xv. Decembris M. DC. XXXIII.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico coram Sanctiſs. D. N. VRBANO Diuina Prouidentia Papa VIII. ac Eminentiſsimis, & Reuerendiſs. Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus aduerſus hęreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr deputatis.

DECRETVM.

Vt omnes Regularium Superiores ſuos ſubditos, & Religioſos perſæpè commoneant de iniuncta omnibus obſeruantia, & executione Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorũ, ad Officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis aduerſus Hæreticam prauitatem pertinentium.

SAnctiſſimus Dominus Noſter ſedulò incumbens, vt ea, quæ ſalubriter Apoſtolicis Decretis, & Conſtitutionibus ſtatuta, & ordinata ſunt, præſertim, quæ ad ſanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obſeruentur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtrictè mandat, & præcipit. Vt omnes Superiores cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ Regularis, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam quantùmuis exempti, & priuilegiati, etiam per ampliſſima priuilegia cum clauſulis, nè comprehendantur in litteris,

Decretis, Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, non facientibus plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum; nedum de ipſis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, ſed etiam de huiuſmodi exemptione, priuilegio, vel indulto mentionem, quibus hac vice, & ad effectum præſentis decreti dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè, & ad formam etiam generalis Conſtitutionis S. Sanctitatis incipientis. *Cum ſicut accepimus*. ſub dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. Sanctitas ſua derogauit, & derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque, teneantur ſub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, alijſq. arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis pœnis, in perpetuum ſemel ſaltem in anno, ideſt, feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis Beatæ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato. Et inſuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari, Congreſſu, ſuos ſubditos ac Religioſos commonere de iniuncta omnibus obſeruantia, & executione earumdem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum, ad ſanctum Officium Inquiſitionis, aduerſus hæreticam prauitatem pertinentium, ac præſertim.

Iulij III Conſtit. 11. incip. *Licet à diuerſis*. Contra impedientes Inquiſitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes, eorumque complices, & fautores: Et contra Inquiſitores admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem. Et Pij V. Conſtit. 82. incip. *Si de protegendi*. contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut perterrefacientes quemuis ex Miniſtris ſanctiſſimi Officij Inquiſitionis, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, vel Prouincia, obeuntium, ſeù Accuſatorem, Denunciatorem, aut Teſtem, in cauſa fidei quomodocũque productum, vel euocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incedentes, expilantes, alioue exporaantes alicuius prædictorum bona, libros litteras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliavè inſtrumenta, ſiue

ſiue publica, ſiue priuata, vbicumquè poſita, eorumque complices, & fautores: & contra effringentes carcerem, vel cuſtodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum captumvè eripientes, recipientes occultantes, ſeù facultatem effugiendi dantes, ſeù id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non ſecuto: nullatenus excuſandos, niſi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra intercedentes pro præfatis delinquẽtibus: Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maieſtatis, eorumque filijs irrogantur: & oblata reuelantibus impunitate.

Pij IV. Conſtit. 31. incip. *Cum ſicut nuper*. Contra Sacerdotes, qui pœnitentes Mulieres in actu ſacramentalis Confeſſionis ad inhoneſtos actus prouocare, & allicere tentant, & ſolicitant. Et Gregor. XV. Conſtit. 33. incip. *Vniuerſis Dominici Gregis*. ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extenſiuæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcunquè illæ ſint) ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs, quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, vel extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut alio loco ad audiendam confeſſionem electo ſolicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint. Et contra Confeſſarios nõ monentes eos, qui ſciunt ab alijs Confeſſarijs ſolicitatos eſſe, vt Inquiſitoribus, vel Ordinarijs ſolicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorij XIII. Conſtit. 21. incip. *Officij noſtri partes*. De iuriſdictione Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinẽ Presbyteratus non promoti Miſſas celebrant, & ſacramentaliter confeſſiones audiunt. Clementis VIII. Conſtit. 81. incip. *Et ſi alias*. declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Iudices laicos, præuia eorum degradatione. Et Sanctitatis ſuæ Conſtit. 79. incipien. *Apoſtolatus officium*. extenſiuæ ad minores 25. annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleuerint.

Sixti V. Conſtitut. 17. incip. *Cæli, & Terra Creator*. Contra exercentes artem Aſtrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque Diuinationum genera, librosvè harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis ſuæ Conſtit. 113. incip. *Inſcrutabilia Iudiciorum Dei*. extenſiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis.

Clementis VIII. Conſtit. 42. incip. *Cum ſicut*. Contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſiue vſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minuſque eis in locis habitent. Et Gregor. XV. Conſtit. 28. incip. *Romanis Pontificis*. contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & Inſularum adiacentium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pauli V. Conſtit. 26. incip. *Romanus Pontifex*. Reuocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religioſorum quoquo modo conceſſarum, cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium ſanctæ Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.

Eiuſdem Conſtit. 97. incip. *Regis pacifici*. Innouatoriæ Conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: Impoſitionis maiorum pœnarum in tranſgreſſores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus puniendos. Et Gregor. XV. Conſtit. 29. incip. *Sanctiſſimus Dominus Noſter auditis*. ampliatiuæ, & declaratoriæ prohibitionis aſſerendi Beatam Mariam Virginem conceptam in peccato originali.

Gregor. XV. Conſtit. 27. incip. *Romanus Pontifex in ſpecula*. reuocatoriæ quarumcumque conceſſionum viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis ſuæ Conſtit. extenſiuæ ad quoſcumque quantumuis priuilegiatos, & exemptos. incip. *Alias felic. recor. Gregor. Papa XV. ſub Dat. Roma 20. Decembris* 1631.

Eiuſdem Conſtit. 40. incip. *Apoſtolatus officium*. Et Sanctitatis ſuæ Conſtit. 114. incip. eo modo reuocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis ſuæ Conſtit. 37. incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter ſolici-*

olicitè animaduertens. De imaginibus non dum à Sede Apoſtolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radijs ſplendoribus, aut laureolis, non proponendis tabellis, aut luminaribus ad eorũ ſepulchra non apponendis: eorumvè geſtis, miraculis, reuelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis ſuæ Conſtit. 50. incip. *Sanctiſsimus Dominus noſter pro debito ſui Paſtoralis officij*. De libris vbicumque compoſitis de quacumque materia tractantibus, ab his qui degunt in Statu Eccleſiaſtico, non tranſmittendis aliò, vt imprimantur, ſinè Vicarij, & Magiſtri Sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam ſinè Ordinarij, & Inquiſitoris, aut ab eis deputatorum licentia.

Et eiuſdem Sanctitatis ſuæ Conſtit. ſub Dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. incip. *Cum ſicut accepimus*. Quod Conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & in poſterum etiam ſuper quacumque alia reedendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos, comprehendant, niſi in edendis illi ſpecialiter excipiantur.

Et inſuper ijdem Superiores teneantur curare, & afficere, vt huius Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſeruentur ita, vt ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Cõgregationem Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Vrbe. Et nihilominus voluit, vt decretum huiuſmodi, ſeu illius exemplum, intimatum Procuratori Generali cuiuſcumque Ordinis Congregationis Societatis, & Inſtituti vt ſupra, in Vrbe degenti, vel ad Valuas Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum Vrbis, & in Acie Campi Floræ affixum, etiam abſque intimatione prædicta, infra duos citrà Montes, vltra verò Montes infrà quatuor menſes ex tunc proximos omnes, & ſingulos eorumdem Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, Religioſos perinde arctet, & afficiat, ac ſi commonitio, & affixio prędictæ

dictæ executæ eſſent, & vnicuique hoc ipſum Decretum exhibitum, ac perſonaliter intimatum foret. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas ſua.

Io. Antonius Thomaſius S. *Romanæ*, *& Vniuerſalis Inquiſitionis Notar.*

Die 11. Februarij M.DC.XXXVIII.

In generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum coram Sanctiſs. D. N. Vrbano diuina Prouidentia Papa Octauo, ac Eminentiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in vniuerſa republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à Santa Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D.N. Vrbanus Papa VIII. prædictus. Iuſtis de cauſis animùm ſuum mouentibus, tempus in Conſtitutione Sanctitatis ſuæ emanata anno 1633. circa publicationem faciendam Conſtitutionum, & Decretorum ad S. Officium ſpectans determinatum pro Feria vj. poſt Feſtum Aſſumptionis B. Virginis, extendit per totum reſiduum menſis Auguſti, quam gratiam omnibus Regularibus ſuffragari voluit.

S.D.N.

SANCTISS. D. N. D. VRBANI Diuina Prouidentia Papæ VIII.

Confirmatio Declarationis Conſtitutionis Clementis Papæ VIII. De Largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

NVPER à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio noſtro Antonio tituli S Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario, ac noſtro in alma Vrbe Prouicario in ſpiritualibus generali, & noſtro ſecundum carnem fratre germano, à Nobis deputata, emanauit declaratio tenoris ſubſequentis videlicet. Cum circa interpretationem Conſtitutionis fel. rec. Clementis VIII. ſub dat. xiij. Kal. Iulij Pontificatus ſui anno III. de Largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates ſint exortæ; Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo D. noſtro VRBANO Diuina Prouidentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac Vrbis Prouicario deputata, auctoritate ſibi attributa declarauit, & declarat, munera à Religioſis vtriuſque ſexus tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, conciliationis beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam Religionem, vel Conuentum, alijſuè cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen, ac diſcretè, & dummodo id non fiat,

nisi

niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cũ conſenſu maioris partis conuentus, ſi talis conſenſus de iure, vel ex conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cuiuſque Religionis reſpectiuè, in huiuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum verò Conuentus in §.3. eiuſdem Conſtitutionis ad leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, & religioſitatem pertinentia munuſcula largienda &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu aliàs de iure requiſito,& vbi concurrit ambitionis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis in §. 4. eiuſdem Bullæ requiſitam,ſed ſufficere licentiam, etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat Commeſſationes autem, compotationes, & conuiuia in excipiendis præſertim Benefactoribus, Protectoribus,vel Ordinarijs honorificè & lautè, de quibus in §.5.& 6. eiuſdem Conſtitutionis,cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatus regularis aduerſentur. Reſtitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam,de qua in §.7. ibidem cautum eſt,intelligi debere de Conuentibus,ad quos data, donata, ſeu miſſa de iure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs Conuentui eiuſdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui huc uſque aduerſus ſupradictæ Conſtitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt,vel receperunt, à pœnis quibuſcumque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe,& debere à proprijs Cõfeſſarijs abſolui in foro conſcientiæ, etiam non facta prius huiuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum grauiori Religionis detrimento largiendo,vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vſque ad diem datæ præſentium in foro conſcientiæ abſoluat,diſpenſet,& condonet, ſeu abſolui, diſpenſari,condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit. Et nè prædictæ Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur,Superiores locales cuiuſcumque Monaſterij, Conuentus,Domus,ac Collegij Regularis, ſub pœna priuationis officij,

vociſ-

vociſque actiuæ,& paſſiuæ ipſo iure incurren. efficere teneantur, vt in perpetuum ſingulis annis menſe Ianuario, non ſolùm prædicta Conſtitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas, omninò obſeruari iubet, & quatenus opus ſit innouat, quęcumque prætenſum non vſum, aut prætenſum vſum,ſeu prætenſam conſuetudinem, damnando, & irritando) verùm etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quàm Laicis cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non compræhenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionem contra præſentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate pœnitus interdicta, ſuper quibus Sanctiſſimus mandauit expediri Breue. Datum Romæ 15. Septembris, M. DC. XXXX. Qua propter vt præmiſſa firmiùs ſubſiſtant,& inuiolabiliter obſeruentur, quantùm cum Domino poſſumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarationem præinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmatis robur adijcimus,ac omnes,& ſingulos, tàm iuris,quàm facti defectus,ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, illaque inuiolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſeruari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quoſuis alios quacumque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtan. quoad ea,quæ declarationi prædictæ,& præſentibus ſunt contraria, vel diuerſa, Conſtitutione fel. record. Clementis

Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Conſtitutione huiuſmodi voluit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xvj. Octobris M.DC.XXXX. Pontificatus Noſtri Anno Decimo octauo.

M.A.Maraldus.

CLEMENS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Religioſæ Congregationes, ab inſigni ſanctitate viris Spiritus Sancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, magna iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio,& natura; vt etiam, quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate,& ad malum procliuitate, partim Dæmonis aſtutia, paulatim deficiant, ac niſi cura peruigili ſuſtententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum diſciplina, aut labefactata in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum Nos veſtigijs pro eodem Officij munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantum poſſumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio, quibuſuis hominibus quauis ex cauſa ſæpè tribuuntur, grauia incommoda,

a, & mala, etiam boni ſpecie exiſtant, præcauere ſtudentes, hac oſtra perpetuò valitura Conſtitutione vniuerſis, & ſingulis cuiſcumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona nmobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentiū, el non poſſidentium, ſeu cuiuſuis Congregationis, Societatis, inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis vtriuſlibet exus omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem muerum, pœnitus interdicimus. Sub qua prohibitione compræendi volumus omnia & ſingula Capitula, Conuentus, & Conregationes, tàm ſingulorum Conuentuum, Monaſteriorum, rioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & ocorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuſlibet Prouiniæ, ſiue vniuerſi Ordinis, Societatis, aut inſtituti: eorumque, el earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcumque Officias, & ſingulares perſonas: Ipſos etiam Ordinum, Congregatioum, & Societatum huiuſmodi Superiores quaſcumque dignites obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuenuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, riores, Præpoſitos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, iniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Prioriſſas, & alio quouis tulo Præſidentes, tàm ipſis Regularibus, quàm locorum Ordirijs, ſeu quibuſuis Superioribus ſubiectas vtriuſlibet ſexus ad tam, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, l earum directè, vel indirectè palam, vel occultè, tam commu, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quouis Statu, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, l quacumque cauſa niſi in Generali Capitulo, aut alia GeneraCongreg. re maturè diſcuſſa vnanimi conſenſu omnium, Suriorumq. permiſſu cauſa approbata fuerit, quicquam tale attare valeat.

Id autem ità abſolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt que omnino fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, reddi-

 tibus,

tibus,& prouentibus, collectis,vel cōtributionibus, aut oblationibus,ſiue eleemoſynis, aut ſubſidijs certis, vel incertis,ordinarijs, ſeu extraordinarijs mēſæ,ſeu maſſæ cōmunis, vel cuiuſuis Fabricæ, & Sacriſtiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, adminiſtrantur, ſeu quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quàm ex pecunijs, etiam, quæ à ſingulis quouis modo acquiſitæ in commune conferendæ omnino ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ cōtributionis in commune congerantur. Nec ſi forſan priuatim, & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à proprijs affinibus,propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Chriſtifidelibus, etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu quoquomodo per quemlibet religioſum ſuo Monaſterio, Domui, aut loco aquiſitæ, eique vt ad libitum de eis diſponat, per Superiores conceſſæ fuerint. Præterquam leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem,vel Religionem pertinentia munuſcula communi tantùm, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de conſenſu Conuentus videbitur) tradenda.

Sed & huiuſmodi miſſiones munerum ipſis Religioſis vtriuſlibet ſexus non ſolum per ſe, verùm etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè prohibitas, declaramus.

Neque verò quiſpiam ab hac generali prohibitione ſe excuſare valeat, etiam ſi munera miſerit, cuiuis perſonæ Laicæ, vel Eccleſiaſticæ cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non ſolùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verumetiam Eccleſiaſtica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex cauſa, & occaſione benedictionis, vel ſuſceptionis habitus Regularis, tonſuræ, aut Profeſſionis Monialium, tàm ſibi ſubditarum, quàm non ſubditarum, aut ipſi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali,aut cuiuſuis Monaſterij, Prioratus, domus, aut cuiuſlibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti,vel cuicum-

que

ue etiam ſimplici ; & particulari Religioſo . Itaut inter ipſos uoque Religioſos(ne praua ambitione impulſi pro conſequen- is in ſua Religione gradibus , & dignitatibus alter alterius gra- am,aut beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio , aut onatio munerum (niſi rerum minimarum, de licentia expreſſa, : in ſcriptis Superiorum) ſit pœnitus interdicta .

Inſuper prohibemus, ne vnquam eiſdem Regularibus liceat llas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefa- toris , aut Protectoris, vel Ordinarij honorem , etiam occaſio- e tranſitus, vel primi ingreſſus , aut ad Beneficiorum accepto- um memoriam , gratique animi teſtificationem , ſeu pro prædi- tis perſonis quauis auctoritate , vel dignitate fungentibus ho- orificò , lautè, & opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſuis con- iuijs eiſdem, aut cuius alteri quacunque occaſione , vel cauſa xhibendis , vel pro commeſſationibus , aut compotationibus uibuſuis perſonis, tam eiuſdem Ordinis, Congregationis , Mo- aſterij , domus , aut loci , quàm extraneis largiendis, aut pro xhibendis ſpectaculis , etiam pijs intra Eccleſias, Monaſteria , domos ſacras ,ſeu pias , vel extra eas , in quibuſuis publicis , ut priuatis ſacris , aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum , & ſanctarum vita ,aut res piè geſtæ , etiam in memoriam Paſſionis Dominicæ populis ſpectandæ proponuntur, aut aliàs in prædi- tis , ſiue in quibuſuis rebus ſuperuacaneis ad pompam,& oſten- ationem,aut ad oblectationem , vel paucorum lucrum , & pri- ata commoda quomodolibet pertinentibus, Niſi re ipſa pro di- ino cultu , & veris Chriſti pauperum indigentijs, ſeruato in hoc haritatis Ordine , & habita neceſſitatis ratione de conſilio , & onſenſu Superiorum ſubleuandis ; aut aliàs in rebus licitis , & er Capitulum Generale , aut Prouinciale non prohibitis , vel axam ibi forſan præſcriptam non excedentibus , ſumptus hu- uſmodi fiant .

Declarantes tamen per hæc laudabilem & Apoſtolica doctrina, acriſq. Canonibus commendatam hoſpitalitatem præſertim erga pauperes , & peregrinos , nequaquam imminui , aut prohi- beri .

beri. Quinimò ſi qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel inſtitutis, ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monaſteriorum, Ordinum, aut regularium huiuſmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſiuè alias applicati, aut donati ſunt, eos omnino (vt decet) integrè in vſus pios hoſpitalitatis huiuſmodi erogandos eſſe; & præſertim in Monaſterijs, ſeu locis deſertis, & ab laicorum ædibus longiùs remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò ditiores occaſione tranſitus, ſiue aliàs ex deuotionis, aut neceſſitatis cauſa eò diuertere contigerit, eos ſanè deceret Refectorio communi cum Religioſis, menſaque & ferculis communibus, nequaquam à cæteris diſtinctis contentos eſſe. Verùm omnino ipſi regulares in hoſpitibus huiuſmodi potentioribus excipiendis ita ſe gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorſus eluceat.

Pari etiam ratione diſtrictè inhibemus, ne quiſquam ex prædictis Laicus aliàs, quam vt ſuperiùs dictum eſt, vel Clericus ſæcularis, vel regularis quocunque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate præditus etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monaſterij, Domus, vel loci cuiuſlibet ſuperior, eorumuè affines, propinqui, familiares, aut Miniſtri vtriuſlibet ſexus, quicquam contra hanc ſuperiùs expreſſam prohibitionem recipiant.

Quod ſi, vel aliquo particulari Religioſo, vel à ſuperiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione; ſiue ab vniuerſo Ordine, & Religione quicquam receperint; id quod acceperint ſuum non faciant. Verùm ipſo facto abſque aliqua monitione Iudicis, decreto, ſententia, aut declaratione, ad illius reſtitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo ſit reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in foro conſcientiæ abſolui poſſint.

Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non priuatim ei Religio-

igioſo, qui donauit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta eſt largitio, vel ſi non de eius bonis donatũ eſt, in quo idem Religioſus donans Profeſſionem emiſit; vel ſi nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuerſi Ordinis, ſeu Religionis donatio facta extiterit; pariter communi menſæ aut maſſæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera reſtituantur; ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui reſtitutio facienda eſt, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere, quoquomodo poſſit.

Quod ſi quis ex ſupradictis Regularibus vtriuſlibet ſexus cuiuſcunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum exiſtentibus coniunctim, cum cæteris, ſeu diuiſim noſtrarum huiuſmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, iuſſionum, decretorum, mandatorum tranſgreſſor fuerit, ſtatuimus, vt omnibus, & ſingulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipſo priuatus, ac ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus exiſtat. Et præterea priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ abſque vllo Superioris decreto, aut miniſterio, ipſo facto incurrat: necnon, vltra huiuſmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & ſimoniæ criminum reum, tàm per viam denunciationis, accuſationis, aut quærelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque ſupplicijs affici debeat.

Pœnis alijs à iure ſtatutis, ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Monaſterij, Domus aut loci, ſtatuta, vel conſuetudines contra perſonas aliqid præmiſſorum committentes, forſan decretis, & inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

Quocirca vniuerſis, & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs, & Officialibus, necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monaſterio-

ſteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, ſeu Prouincialibus, cæteriſque ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus ipſi, & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate, & vigilantia, præſentem Conſtitutionem firmiter, & inuiolatè obſeruari, & contra inobedientes, vel tranſgreſſores condignis pœnis animaduerti. Eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſlicis dictorumque Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus: priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus præſentis noſtræ Conſtitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, &de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.Quę omnia quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, prorſus tollimus, & abrogamus,cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Volumus autem, vt præſentes litteræ in valuis S. Io. Lateranẽ, & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimiſſis. Quodque earum exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monaſteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiuſque Regionis ſermonem verſa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, ſubſcripta inſerantur; & ſaltem quotannis in Capitulis, ſiue Congregationibus cuiuſque earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus poſt ſexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Romana Curia facienda, vnumquem-

quemque citra montes, vltra montes verò poſt quatuor menſes, perinde arctent, & aſſiciant,ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos iuratæ fuiſſent.

Quodque earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, ſtatuti, mandati, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat.Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto,Tertiodecimo Kal.Iulij Pontificatus Noſtri anno III.

L.Card.Prodat.

M.Veſtrius Barbianus.

A.de Alexijs.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.

PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem, niſi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valdè alienum eſt, vt Religioſi viri quos honorum, & dignitatum gradus, ſanctitate vitæ, & alijs religioſis virtutibus potius præmereri, quàm appetere, eoſque gradus, cum ad eos aſſumuntur obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſq. humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim perſonarũ ſtudijs ad eos ſibi aditum patefacere contendant; Vnde magna in Eccleſia Dei pernities afferri ſolet. Nos, qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, vt Eccleſiaſtica, Regulariſq. diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum cenſuimus. Cum itaque ſicut accepimus, quidam in ordine S. Bernardi Congregationis Ciſtercienſium Italiæ, profeſſionis, & Regulæ, quam profeſſi ſunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum in dicta Congregatione conſequendorum ambitione ducti, pro ijs conſequendis Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum ſtudia requirant, & à S.R.E. Cardinalibus, alijſq. Prælatis commendatitias literas, alioſq. fauores, & gratias propterea expectant, quibus adiuti, quos ipſi ex ſe promeruiſſe minimè confidunt, gradus, & dignitates in eadem Congregatione conſequi valeant; ſicq. eiuſdem Cõgregationis quietem, non ſine animarum ſuarum periculo perturbant. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Congregatione, cuius proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ Sanctæ vtilitatem ſinceris exoptamus affectibus, pro noſtra Paſtorali ſollicitudine propellere ſummoperè cupientes. Motu proprio, & certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eos omnes, & ſingu-

los Mònachos dicti Ordinis, & Congregationis cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, præheminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad Prælatus, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Congregationis aſſequenda intēti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcunque perſonarum tàm ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacunque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fungentium fauores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijſque vijs directè, vel indirectè, palàm, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpirauerint, vel alijs minus legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiuerint, aut etiam ſponte oblatis & minimè cōquiſitis vſi fuerint, illorumq. complices, & fautores, ad quaſcunque Prælaturas, dignitates, & officia, gradus, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda, perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officijs huiuſmodi eo ipſo priuamus, ac priuatos voce tam actiua, quàm paſſiua carere decernimus, & declaramus, Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Superioribus, & Prælatis quocunque titulo nuncupatis, etiam Præſidenti, & Patribus Diffinitoribus, & regiminum præſentibus, & futuris præcipimus, diſtrictèq; mandamus, ne quempiam vllo tempore, precibus, litteris, vel fauoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeù requiſitionem, vel cōtemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcunque tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum extra dictum gremium exiſtētium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cuiuſuis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promoueri, vel pęnas aliquas remittere audeant, vel præſumant. Decernentes

electiones, & promotiones ad Monaſteria, Abbatias, ſeù Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Congregationis contra præſentium diſpoſitionem (quod abſit) quandocunque faciendas, & pro tempore obtentas nullas prorſus, inualidaſque fore, & eſſe, nulliſq; viribus ſubſiſtere, Ac omnes, & ſingulos in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias, & pœnas præmiſſas damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omninò conuincendum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces, & fauores etiam oretenus porrectas plenam, indubiam, & ſufficientem in iudicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores; & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum quoque; & inane ſi ſecùs ſuper his à quoque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. quibuſcunque Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, & ordinibus, ac Ordinis, & Congregationis huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & couſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrarijs quibuſcunque, Aut ſi prædictis Monacis, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nõ poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Vt autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Congregationis Monachos faciliùs deueniat, Volumus illas in Monaſterijs dictæ Congregationis publicè legi, illaſque in prædictis Monaſterijs le-

lectas, ſic arctare, ac ſi legitimè vnicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, etiam impreſſis, manu ſcribæ dicti Præſidis, vel Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis ipſius Congregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xxvij. Iulij M. D C V. Pontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALIAS per Nos accepto quod quidam in Ordine S.Bernardi Congregationis Ciſtercienſium Italiæ profeſſionis, & regulæ, quam profeſſi ſunt penitus immemores, nimiaque dignitatum, & officiorum eccleſiaſticorum in dicta Congreg. conſequendorum ambitione ducti pro ijs conſequẽdis Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum ſtudia requirebant commendatitias litteras, alioſq. fauores, & gratias, propterea expectabant, quibus adiuti, quos ipſi ex ſe promouiſſe minimè confidebant, gradus, & dignitates in eadem Congregat. conſequi valerent, ſicq. eiuſdem Congregationis quietem non ſinè animarum ſuarum periculo perturbabant.

§. 1. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Congregatione pro noſtra paſtorali ſollicitudine expellere ſummoperè cupientes motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eos omnes, & ſingulos Monachos dicti Ordinis

nis

nis, & Congregationis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminenentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui ex tunc de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Cógreg. aſſequenda intenti, & ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcunque perſonarum, tàm ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacunque ſæculari dignitate, & excellentia etiam Imperiali, Regali, & Ducali fungentium, fauores recurriſſent, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijſq. vijs directè, vel indirectè, palam, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraſſent, vel alijs minus legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſijſſent, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis vſi fuiſſent, illorumq. complices, & fautores ad quaſcunque Prælaturas, dignitates, & officia, gradus, & honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declarauimus, & obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officijs huiuſmodi eo ipſo priuauimus, ac priuatos eſſe voce, tam actiua, quàm paſſiua carere decreuimus, & declarauimus.

§. 2. Atque in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub cenſuris latę ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Superioribus, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis etiam Præſidenti, & Patribus Diffinitoribus tunc præſentibus, & futuris pręcepimus, diſtritèq. mandauimus, ne quempiam vllo tempore precibus, litteris, nec fauoribus adducti, vel alias ad inſtantiam, ſeù requiſitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcunque, tàm ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum extrà dictũ gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cuiuſuis generis Prę-laturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promoueri, vel pœnas ali-

quas remittere auderent, vel præſumerent, & aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma breuis ſub die 27. Iulij 1605. expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

§. 3. Nos, qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, vt Eccleſiaſtica, Regularisq. diſciplina priſtino candori reſtituatur, ac huiuſmodi ambitionis malum ne altius ſerpat, peramplius prouidere volentes, motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus omnibus, & ſingulis Monachis dicti Ordinis, & Congregationis cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentibus, ne de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Congregationis aſſequenda ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tàm ſæcularium, quam Eccleſiaſticarũ de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacunque ſæculari dignitate fungentium fauores recurrant, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijs vijs, directè, vel indirectè palàm, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia præfata obtinenda aſpirent, vel alijs minus legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quærant, aut etiam ſponte oblatis fauoribus, & minimè conquiſitis vtantur. In virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes ipſo facto incurrenda, diſtrictè præcipimus, mandamus, ac prohibemus.

§. 4. Non obſtañ præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus, non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque, aut ſi præfatis Monachis, vel quibuſuis alijs, communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede Indultum, quod Interdici, &c. mentionem.

§. 5. Vt autem harum notitia ad omnes dicti Ordinis, & Congregationis Monachos facilicis deueniat; Volumus illas in Monaſterijs dictæ Congregationis publicè legi, illaſq. in Monaſte-

rijs huiuſmodi lectas ſic arctare, ac ſi legitimè vnicuique intimatæ eſſent.

§.6. Illarumque exemplis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis ipſius Congregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum &c. Die 30. Martij 1613. Anno Octauo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX CAPITVM CONSTITVTIONVM

Et Bullarum Pontificiarum.

DE tempore celebrationis Capituli Generalis, & de ijs, qui ad illud accedere debent. Cap. 1. pag. 1.
De electione Diſcretorum. Cap. 2. p. 2.
Quæ opporteat Diſcretos facere, & obſeruare. Cap. 3 pag. 4
Quis tenor litterarum teſtimonialium. Cap. 4. p. 5.
Quas ſcripturas opporteat Prælatos, cum ad Capitulum accedũt, ſecum deferre. Cap. 5. p. 5.
Prælati quantum fructuum in Monaſterio relinquere debeant ad Capitulum acceſſuri. Cap. 6. p 6.
De expenſis pro Diſcretis, & Capitulo faciendis. Cap. 7. p. 6.
Quæ forma in Capituli celebratione ſeruanda. Cap. 8. p. 7.
De Scrutatoribus. Cap. 9. p. 9.
Quomodo Diffinitores eligantur. Cap. 10. p. 10.
Quomodo Capituli Præſes eligatur. Cap. 11. p. 12.
Quæ auctoritas Patris Præſidis, & Diffinitorum. Cap. 12. p. 12.
Modus in Diffinitorio tenendus. Cap. 13. p. 13.
De Electione Præſidentis triennalis. Cap. 14. p. 15.
De electionibus Prælatorum, ac Viſitatorum. Cap. 15. p. 17.
De alijs electionibus in Diffinitorio faciendis. Cap. 16. p. 19.
De Capituli reſolutione. Cap. 17. p. 20.
Quomodo conſtituatur cuiuſlibet Prouinciæ Regimen, quæue ſit eius auctoritas. Cap. 18. p. 21.
Quomodo tractentur negotia intra triennium ad totam Congregationem ſpectantia. Cap. 19. p. 23.
Quæ ſit auctoritas Patris Præſidentis. Cap. 20. p. 24.

Quales eſſe opporteat Prçlatos noſtrorum Monaſteriorũ,Cap.21. pag.25.
Prçſidenti, Prçlatiſue decedentibus, vel amotis quomodo ſuccedatur.Cap.22.p.26.
Quandiù in eodem Monaſterio ſit Prçlatura gerenda. Cap.23. pag 27.
De Viſitationibus faciendis.Cap.24.p.28.
Quibus caſibus Abbates à Prçlatura poſſint deponi. Cap.25.p.31.
De Abbatibus, qui renunciant, cæteriſque Titularibus. Cap.26. pag.32.
Quos ordines ſeruent inter ſeſe Prçlati, & reliqui. Cap.27. p.33.
De reſidentia Prçlatorum officiariorum, & reliquorum in eorum Monaſterijs.Cap.28.p.34.
Monachi Sanctæ Crucis, & Trium fontium Romæ,& Sancti Galgani Senenſis æſtiuo tempore extra Monaſteria habitent. Cap.29.p.35.
Monachi quò pacto à Monaſterijs amouendi.Cap.30.p.35.
De Computis,& Inuentarijs ad Capitulũ deferẽdis.Cap.31.p.36
Quod nullus tempore Capituli, vel Viſitationis extra Monaſteria pernoctare audeat.Cap.32.p.37.
Quę, & quo ordine in Monaſterio, vbi Capitulum celebratur Miſſę ſint cantandę.Cap.33 p.37.
A carnibus dum,& vbi Capitulum fiet abſtinendũ.Cap.34.p.38.
Quomodo officiarij ab eorum officijs ſuſpendi poſſint. Cap.35. pag.38.
De Oratione.Caq.36.p.39.
De Diuinis Officijs.Cap.37.p.39.
Quorum Sanctorum feſta in Congregatione celebranda, & de ſolemnitate Roſarij.Cap.38.p.40.
Quando, & quomodo Angelorum Canticum, & ſymbolum in Miſſis dicantur. Cap.39.p.40.
De Anniuerſario Sancti Lamberti.Cap.40.p.41.
Quota hora noctis ad Vigilias, ſeu Matutinas laudes ſurgendum. Cap.41.p.41.

Se-

Seniores quibus obſeruantijs eximantur.Cap.42:pag.42.
Monachis nulla niſi graui de cauſa ex Monaſterijs exeundum. Cap 43.p. 42.
Quod Monachi, vel Conuerſi non pernoctent extra Monaſteria. Cap.44.p.43.
Quod officium à Conuerſis dicendum.Cap.45. p.44.
Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, qua reuerentia cuſtodiendum.Cap.46.p.45.
Quo tempore ſit Monachis ieiunandum.Cap.47.p.45.
Qui,quomodo,& vbi ad Religionem admittendi. Cap.48.p.46.
De qualitabus,officio,& priuilegijs Magiſtri Nouitiorũ.Cap.49. pag.49.
De Nouitiorum inſtitutione, & educatione.Cap.50.p.51.
Quãdo,& quomodo Nouitij ad profeſſionem admittantur, & eam emittant.Cap.51.p.54.
De Monachis recens profeſſis.Cap.52.p.55.
Qui vocem in Capitulis Monaſteriorum habeant. Cap.53. p.56.
Ad ſacros Ordines, qui promouendi.Cap. 54 p. 56.
Qui Sacerdotes celebrare permittantur.Cap.55.p.57.
Quot,& qui Confeſſionibus audiendis præficiendi ſint. Cap.56. pag.57.
Qui caſus Prælatis reſeruentur.Cap.57.p.58.
Quando Monachi confiteantur,& Euchariſtiæ Sacramentum ſumant. Cap.58.p. 58.
Correctionum,qui modus.Cap.59.p.59.
Proprietatis vitium à Monachis euitandum.Cap.60.p.59.
Quæ poſſidere,aut tenere non liceat ſub pœnis exercẽtium mercaturas.Cap.61.p.61.
Pecuniæ Monaſteriorum, vt cuſtodiendæ, & adminiſtrandæ. Cap.62.p.61.
Duos in ſingulis Monaſterijs eligendos, qui reddituum adminiſtrationem viſitent.Cap.63.p.62.
Libri Magiſtrales quo pacto conficiendi.Cap.64.p.63.
De Litteris miſſiuis.Cap.65.p.63.

Scripturę authenticę, & Priuilegia Congregationis quomodo conſeruentur.Cap.66.p.64.
Procuratores in Romana Curia, qui ſunt.Cap.67.p.64.
Pręlatus in Vrbe quomodo alterius Monachis vtatur. Cap.68. pag.65.
Ad Romanam Curiam acceſſus quibus, & quomodo concedatur. Cap.69.p.65.
Impetrantes litteras contra Congregationis Inſtituta, qua pœna puniendi.Cap.70.p.66.
Pecunię pro Quindēnio, ſeù annata quomodo reponēdę. Cap.71. pag.67.
Pecunię communes ſingularum Prouinciarum quomodo cuſtodiendę, & erogandę.Cap.72.p.68.
Bona, ſeù Poſſeſſiones Monaſteriorum ante tempus non locentur. Cap.37.p.68.
Aedificia quomodo conſtruenda.Cap.74.p.69.
Monachi quomodo voce priuentur.Cap.75.p.70.
Iudiciales actus inter Monachos quomodo fiant.Cap.76.p.71.
Fugitiui qui, & quomodo recipiendi.Cap.77.p.72.
Carceres in omnibus Monaſterijs conſtituendos.Cap.78.p.73.
Carceribus detentos ab omnibus euitandos.Cap.79.p.73.
Alienæ famæ detrahentes, qua pœna plectendi.Cap.80.p.74.
Quod vnum Regimen alterius Regiminis ſententias, aut acta non retractet.Cap.81.p.74.
Quibus pœnis rebelles, diſcoli, ac percutiētes coerceātur. Cap.82. pag.74.
Impugnantes Religionem, vel Superiores, qua pœna caſtigandi. Cap.83.p.75.
De Monachis degentibus extra Monaſteria ad curas animarum, vel alia beneficia Eccleſiaſtica.Cap 84.p.76.
Quod nullus Congregationis Religioſus arma cuiuſuis generis teneat, vel ſecum deferat.Cap.85.p.76.
Mulieres cuiuſuis cōditionis, & gradus in Monaſteriorum clauſuras non admittendæ.Cap.86.p.77.

Alu-

I N D E X.

A ludis,& venationibus illicitis abſtinendum.Cap.87.p.77.
De Collegijs pro litterarum ſtudijs.Cap.88.p.78.
De ſumptibus pro alendis Monachis in Collegio Sanctæ Crucis. Cap.89.p.80.
De Lectoribus præfatorum Collegiorum.Cap.90.p.81.
De litterarum ſtudijs in alijs Monaſterijs.Cap.91.p.81.
Vt nemo extra Monaſteria ſtudijs operam det, neue quiſpiam lauream Doctoratus, aut eius inſignia ſine licentia aſſumat, aut quidquam typis mandet.Cap.92.p.82.
Quod omnes in Refectorio cibum ſumant, nec vllus inconſulto Superiore edat carnes.Cap.93.p.83.
Habitu, & tonſura quali Monachis vtendum.Cap.94.p.83.
Quod nullus quidquam extra Monaſterium teneat.Cap.95.p.84.
De Veſtiario Monachorum.Cap.96.p.85.
Mutuare, largiri, permutare, ac vendere ſine licentia Monachis prohibitum.Cap.97.p.86.
Quæ reuerentia Sacerdotibus habenda.Cap.98 p.86.
In Miſſarum nouarum celebratione.Cap.99.p.87.
Fructuum collectorum notam Regimini certo tempore mittendam.Cap 100.p.87.
Concionari nemini liceat ſine licẽtia Regiminis. Cap.101.p.88.
De Animalibus, quæ in Societatem cum ſęcularibus habentur. Cap.101.p.88.
Quomodo cooperiantur Monachi ad Altare proceſſuri.Cap.103. pag.88.
Ne ad feſta Eccleſiarum noſtrarum nimius noſtrorum Abbatum concurſus fiat.Cap.104.p.89.
De ſpolijs Monachorum Cap.105.p.89.
Quid teneantur ſoluere Monaſteria Morimundi, Sancti Bartholomæi Ferrariæ, ac Boni ſolatij Monaſterio Ciſtelli. Cap.106. pag.90.
De Abbate Spineti, eiuſdemque Monaſterij adminiſtratione. Cap.107.p.90.
Cellerarij ſuppellectiles Monachorum migrantium ad alia Mona-

na-

naſteria ſollicitè vehi curent, & pecunias Monaſteriorum in Capſa triclaui cuſtodiant.Cap.108.pag.91.
In Miſſis quo Miſſali vtendum.Cap.109.p.92.
Superiores ne faciles ſint in ferēdis ſpiritualibus pœnis.Cap.110 pag.92.
Quando ad ſacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas erit recurrendum.Cap.111.p.92.
Quod regula quam profeſſi ſumus, & Conſtitutiones aſſiduè legantur.Cap.112.p.93.
Quod ſingulis Diffinitoribus ternæ Litteræ gratioſæ concedantur Cap.113.p.93.
Forma Litterarum gratioſarum.Cap.114.p.94.
Indulgentiæ omnibus Religioſis Regularibus vtriuſque ſexus conceſſæ.p.97.
Formularium Interrogationum faciendarum Prælatis, & Diſcretis coram Patribus Diffinitoribus in Capitulo.p.100.
Decreta Sacræ Congregationis Concilij S. N. D. Vrbani Papæ Octaui iuſſu ædita, De Regularibus Apoſtatis, & Eiectis.p.107
Decreta generalia fel.rec. Clementis PP.VIII. Ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia aliàs facta, & publicata. De Nouitijs ad habitum Regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignandis. p.112.
Renouatio, & ampliatio eiuſdem Decreti. De Nouitijs ad habitum Regularem non recipiendis, niſi in Monaſterijs, & locis deſignandis.p.113.
Decreta pro reformatione Regularium, tàm Monachorum, quàm Mendicantium cuiuſcunque Ordinis, & Inſtituti.p.115.
Decretum fel.rec. Clementis PP.VIII. ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.p.124
Formula concedendi facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monaſterijs, & locis deſignatis.p.126.
Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & profeſſionem.p.127.

In-

Inſtitutio nes ſuper receptione, & educatione Nouitiorum Religioſorum in Monaſterijs, & Conuentibus deſignatis, vel deſignandis Clementis eiuſdem iuſſu æditæ.pag. 129.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij S.D.N. Vrbani Papæ Octaui iuſſu editum, De rebus Regularium non alienandis. pag 137.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij S.D.N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, De celebratione Miſſarum.p.139.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij Sanctiſſ. D.N. Vrbani VIII. authoritate edita, Super Decretis eiuſdem Congregationis de celebratione Miſſarum.p.147.

Decretum 15. Decembris 1633. Vt omnes Regularium Superiores ſuos ſubditos, & Religioſos perſepè commoneant de iniuncta omnibus obſeruantia, & executione Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum, ad Officium Sanctiſsimæ Inquiſitionis aduerſus Hęreticam prauitatem pertinentium. pag. 53.

Decretum 11. Februarij 1638. pag. 158.

Sanctiſſ D.N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. Confirmatio Declarationis Conſtitutionis Clementis Papæ VIII. De Largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta. pag. 59.

Bulla Pauli V. dat. 27. Iulij 1605. contra ambientes. p. 170.

Bulla eiuſdem Pauli V. dat. 30. Martij 1613. ſimiliter contra ambientes. p. 173.

Errata.

Pagina 9. verſu 11. eidem, lege, idem. ibid. verſu 24. ſuæ profeſſionis, lege, ad ſuæ profeſſionis. pag. 14. verſu 5. procuratorem, lege, promotorem, pag. 15. verſu 4 legitimo, lege, ex legitimo. ibid. verſu 25. ipſi, lege, Ipſi. pag. 25. verſu 14. Præſidentes, lege, Præſidentis. pag. 27. verſ. 25. decemnium, lege, decennium. pag. 31. verſ. 12. ibi ſacros Canones, adde, & Pontificum Conſtitutiones ſtatutos. pag. 32. verſu 8. vita, lege, viſa. p. 34. verſu 19. dele, ſi. p 38. verſu 9. regulas obſeruantia, lege, Regulares obſeruantias. p. 42. verſu 20. Socius, lege, Socio. p. 43 verſu 12 licentias, lege, licentiatis. p. 44. verſu 1. Conuerſis, lege, Conuerſi. p. 53. verſu 18. leuibus, lege, leuioris. p 54. verſu 16 receptus, lege, deceptus. p. 59. verſu 15. olio, lege, oleo. pag. 60. verſu penultimo Viatores, lege, Viſitatores. p. 71. verſu 17. tallionis lege, talionis. pag 72. verſu 2. occaſione, lege, vocatione. pag. 71. verſu 1. decemnium, lege, decennium. ead. pag. verſu 10. iaceat, lege, iaciat. ead. pag. verſu 14 notum, lege, notam. p. 77. verſu 12 dele omnia illa verba, præterquam in Viridario S. Ambroſij Maioris Mediolani die Paraſceues tantum. pag. 78 verſu 21. mouendos, lege, amouendos. p. 81. verſu 21. ſeſſio, lege, ſeſſione. ead. pag verſu 14. Ianulos, lege, annulos. p. 86. verſu 16. decernunt, lege, decernuntur. p. 87. verſu 1. ſubſanauerit, lege, ſubſannauerit. ead. pag. verſu 16. ad, lege, vſque ad. p 98. verſu 4. induentium, lege, inducentium. ead. pag. verſu 22. Eccleſiæ, adde, recitauerint. p. 99. verſu 2. argumento, lege, augmento. pag. 104. verſu 21. orum, lege, eorum. pag. 105. verſu 25. afflictione, lege, afflictionem. p. 108. verſu 5. præripatur, lege, præripiatur. ibid. verſu 20. poenarium, lege, poenarum. p. 119 verſu penultimo ſabiturum, lege, ſubiturus. ead. pag. verſu 6. Miniſter, lege, miniſtret. pag. 125. verſu 23. ad, lege, ac. p. 127. verſu 11. hæc, lege, hoc. p. 130. verſu 16. ſui, lege, ſuis. ibid. verſu 19. fuerint, lege, fuerit p. 132 verſu vltimo præbeat, lege, præbeant. p. 133. verſu 13. labefacta, lege, labefactata. p. 134. verſu 1. alterius, lege, alternis. p. 135. verſ. 10. fuerint, lege, fuerit. p. 141. verſu 11. quacumque, lege, quamcumque. p. 142. verſu 1. eorumdem, adde, pretium ſub eadem. ibid. verſu 12. ſæculares, lege, ſæcularis. p. 154. verſu 26. protegendi, lege, protegendis. ibid. verſu 32. exporaantes, lege, exportantes. p. 157. verſu 17. recedendæ, lege, re edendæ. ibid. verſ. 20. afficere, lege, efficere. pag. 158. verſu 16 ſpectans, lege, ſpectantium.

Quoad interpunctiones parum deferatur Typographo.

[library stamp]